

9
DISSERTATIO JURIDICA
DE

PÆNIS HÆ- RETICORUM,

QVAM

P RÆSIDE
**D. PHILIPPO BALTHASAR
GERDESIO,**

ACAD. GRYPH. PROF. ORDIN. FACULT. JURID. H. T.
DECANO, ET REGII CONSISTORII PER POMER. SVE-
CICAM ET RUGIAM DIRECTORE.

R. 46
RESPONDENS
CHRISTIANUS ANDREAS LOPER,
JUR. AC PHIL. STUD.
DAE. POM.

PUBLICE

IN AUDITORIO MAJORI

AD D. VIII. DEC. ANNI MDCCXXIV.

HORA CONVENTA IX.

DEO VOLENTE

VENTILENDAM EXHIBET.

16?

GRYPHISWALDIAE,
Typis Caroli Höpfneri, Reg. Acad. Typogr.



VIRIS

Excellentissimis, Amplissimis, Consultissimis, Doctissimisque

DN. DN. CONSANGVINEIS,

**DN. MARTINO FRIDERICO
LÖPER,**

Sacratiss. Reg. Boruss. Consiliario & Archivi, quod est Sedini
Archivario.

DN. MARTINO LÖPER,
J. U. D. Scabinatus qui est Stargardiaë Seniori gravissimo,
ac Advocato famigeratissimo.

**DN. JOHANNI DANIELI
LÖPER,**

J. U. D. Scabinatus Stargard. Assessori celeberrimo, & Advo-
cato dexterimo.

DN. JOACHIMO WILHELMO LÖPER,

J. U. D. Scabinatus Stargard. Assessori celeberrimo, &
Advocato fidelissimo.

Cognatis, Fautoribus ac Patronis suis.

HOC EXERCITIUM ACADEMICUM

*devoto animo dicat atq[ue] consecrat
RESPONDENS,*



I. N. D.

DISSERTATIO JURIDICA
DE
POENIS HÆRETICORUM.
CAPUT I.

- 1.) Ingressus differt fit à variis hominum judiciis super una veritate.
2.) Hoc ostenditur in religione naturali & revelata Christiana,
3.) Mala inde in eccl. & rempib. redundant. 4.) Hinc contra
ea leges poenae. 5.) Partitio differt. 6.) Poena definitio. 7.) Significa-
tio vocis hæresis. 8.) Thomafii acceptio hæresis & hæretici, pro hæreti-
ficio & hæretifice notatur una cum hæretificandi abusu. 9.) Hæresis de-
finitio an difficilis remisive. 10.) Ejus definitio in sensu Theologico.
11.) Ejus descripicio, à Thomafio ab usu tradita, adducitur. 12.) Hæresis
& hæretici definitio ex jure Justinianeo. 13.) Juxta pacem Relig. & Osnabr.
hodiernamque imperii praxin. 14.) Primum requisitum, ut quis civiliter
hæreticus sit, est error in articulo fidei fundamentali trium religionum.
15.) Schismaticus differt ab heretico. 16.) Secundum requisitum, ut legi-
time convictus & damnatus sit. 17.) De processu contra hæreticos. 18.) Hæ-
reticus civiliter talis non est, quem privati declarant. 19.) Privatis denun-
tiandi & accusandi facultas competit. 20.) De poena falso denuntiantis
vel accusantis. 21.) Judex in hæresi & controversiis Theologicis datur, ubi
notatur Thomafius, qui nullum plane judicem in terris agnoscit. 22.) Qvis
inter pontificios? 23.) Qvis inter Evangelicos? 24.) Qvis in patria Pom.
25.) Qvis demum Theologice & civiliter hodie hæreticus inter Evangelici-
cos? 26.) An Pietistæ sint civiliter hæretici? 27.) Hæresis an sit crimen?
28.) An puniri possit? 29.) An Atheus puniendus?

A

I. Res



Es miseratione digna est, cum una sit veritas, unum, quod rectum, illudque simplex, una pariter eademque naturalis ratio cunctis à Deo hominibus indita; tamen super eadem re adeo diversa hominum judicia, & tot contrarias existere opiniones. Desperatum hunc mentis humanæ esse morbum, nemo temere inficias ibit, qui corruptam hominis naturam & indolem novit ac sentit. Atque quidem tanta hujus morbis per omnes pervagata disciplinas, cumprimis doctrinam de religione invasit. Etenim in religione naturali quam varie non sensere homines, sua rationi relieti, quam turpiter in omnia devia non sunt delapsi? Gentiles non unum, sed fere inumeros coluere Deos, & contra rationis dictamen, animalia, rationis expertia, in Deorum numero collocasse, boves, equos, pisces, crocodilos, canes, lupos, & omne fere bestiarum genus Ægyptios consecrassæ atque invocasse, quis ignorat? Tantum Satanæ hominum illusit mentibus! Ast tenebrarum hic princeps ipsam rationem contra rationem inflammavit atque armavit, & quosdam in eam abripuit rabiem, ut immotam & rationi obviam cordique innatam veritatem de DEI existentia laceſſere atque negare non sint veriti, hocque sub specie subtilitatis ac ingenii sublimitatis, non intelligentes, utut isti sibi præ cæteris eximiam quan-
 dam ingenii perspicaciam imaginentur, tamen se revera miferrime stultos esse. Psalm. 14. v. 1. similes illis, qui vel acutissimo laborant morbo, & sibi peruersum habent, se non esse ægrotos, quia vim mali non sentiunt. Benignissimum Numen, ne homo per inextricabiles amplius oberraret errores, cœlestem veritatem per divinam manifestationem in libris Veteris ac Novi Testamenti testatam fecit. Licet vero hac ratione christiana religio infallibili nitatur principio, & qui eam profitentur, Sacram Scripturam, velut Verbum divinum, pro una indubitata credendorum & agendorum norma

ma agnoscant; tamen dolendum est, scita religionis christianiæ, quæ sua indole omnes sibi addictos svavissimo veritatis vinculo connecteret, & unitatis contineret spiritu, ob intemperiem hominum in tam diversos & sibi oppositos lacerari sensus. Etenim prout quemquam sui animi urget propensio, huic accommodum scripturæ sacræ plerumque infert sensum, sicut cuiusvis temperamenti indoles passionumque habitus, sic verbum DEI intelligit, ita interpretari solet. Exemplo esse possunt illi hæretici, qui foedarum voluptatum amantes, inde promiscuam probarunt venerem, exigitantes, hoc modo mortificari carnem, carnali suo sensu sanctos Apostolos ad mortificationem carnis adhortantes, de hoc carnali remedio interpretati: Sic multi hodieque pro genio suorum affectuum sacra detorquent oracula, unde illa hæresium monstra & opinionum portenta nascuntur. Atque 3.
 in tanto in religione christiana opinionum dissensu singulare est, quod singuli judicium fallere nefscium sibi plerumque persuadeant, & ideo, aliud sentientes, damnent, ac vatiniano prosequantur odio, maxime si confortes aliquando unius religionis fuere, quia tunc, ut fratum odia acerrima, ita eorum fere. At enim vero, quia una vera religio in Republ. 4.
 firmissimum ejus habetur vinculum, & è contrario nimia in religione sentiendi libertas multa mala in Rempublicam & Ecclesiam invehit, & ne perpetuis dissidiorum facibus Respublica confagretur, metuendum est, ideo jure Canonico & Civili non una sed multiplex poena in hæreticos constituta est, adeo, ut Justinianus hanc ob causam multis papizans audiatur, iis preprimis, quibus leges istæ poenales fides sunt in oculis, quia libertati quarumlibet religionum, quam induciant, repagulum objiciunt. Itaque nobis operæ pretium 5.
 visum est præsente dissertatione ex professo materiam de poenis hæreticorum pertractare, hac quidem methodo, ut prium caput nominalem tractationem & alia generalia; alterum vero ipsas exhibeat poenas. Primum vox poenæ consideranda venit, quæ, præente Grotio, est malum passionis, A 2 propter 6.

propter malum actionis, à Superiori infictum. Dicitur poëna *malum passionis*, ubi non solum intelligimus, passionem, quæ dolorem corpori afferit, sed quacunque molestiam, qua animo etiam ægre fit, uti jaætura honoris, relegatio, carcer, multa &c. Plane hic inepti sunt Stoici, & præprimis Cynici, qui plane nullum passionis malum agnoscent, & vel acutissimos dolores esse malum passionis negant. Etenim fingunt, sibi sapientem exsensum exfortemque omnis doloris lætitiaeque, eumque in saxum quasi & stipem transforment. Sic ex eorum sententia, quando sapiens ejusmodi torquetur, ille non affligitur, quando igne torretur, non offenditur. Caulam huic errori præbuuisse videtur, quod iudicem existimaverint, cruciatus saltem afficere corpus, corpus vero non esse hominem, sed saltem hominis habitaculum, quia hominem corpore, veluti carcere, inclusum habent. Sed primum sapiens extra omnem constitutus patientiam, ubi corpus dolores sentit, qualem sibi effingunt, est non ens, nunquam fuit, est aut erit. Deinceps vero novimus, hominem consistere ex duabus essentialibus partibus, corpore & anima, & hanc illi adeo intime unitam esse, ut homo non debeat non sentire dolores, quibus affligitur corpus, animæ habitaculum. Voces, *malum actionis*, in definitione ita accipi debent, ut peccata omissionis una complectantur, quia utriusque generis malum promeretur poenam. Denique definitioni poenæ Grotianæ adjecimus verba: à Superiori infictum, quia poena non est, nisi à superiori irrogetur. Unde si invasus invasorem male accipiat, hic quidem malum patitur propter malum actionis; attamen formaliter poena non est; quia à potestate civili non imponitur. Tandem altera vox inscriptionis *Hereticorum* expendenda sequitur. Quid hereticus sit, tum novimus, ubi scimus, quid sit hæresis. Vox hæresis per se est μετωπος, significans generaliter opinionem, sectam, seu est electio, qua quis ex pluribus eligit opinionem. *Coccejus in Dissert. de jure circa hereticos, §. 2. &c.* uero inter christianos in malam accipitur partem, & denotat

notat opinionem à vera doctrina aberrantem. Dominus 8.
Thomae in famosa Dis. An Heres sit crimen §. 8. in fin. præ-
postere & singulariter statuit, Hæres in ex sententia sacræ
scripturæ idem significare, quod Hæretificium, die Reherma-
cherey/ & inde ipsi Hæreticus & Hæretifex sunt synonima,
quam in rem adduxit Ep. Jude v. 19. die da Rotten machen/ qua-
si Apostolus dixisset: Die da Reher machen. Etsi vero infici-
as ire nolimus, ac salva veritate nequeamus, cacoëthen hæ-
retificandi, veluti insanabile malum, multos corripuisse, cu-
jis impulsu sepe gravissimos Theologos per ambitionem,
invidiam, vel quod illis sit ingenium & votum inclarescen-
di per turbas, in censum hereticorum vel innocentissime re-
ferunt, inter quos isti plane improbi habendi sunt, qui in
tenebris latent, & occultato nomine, vel sub larva ficti, fla-
gella piorum existunt, & contra publicas imperii leges, con-
tra omnem christianam charitatem famosis libellis, non tam
rerum argumentis, quam fabulis, scommatum & convictio-
rum plaustris, famam & existimationem honestorum viro-
rum onerant, proscindere atque lacerare allaborant, quales
non verbis & doctrinaliter redarguendi, sed poenis, in le-
gibus imperii constitutis, coercendi sunt, ubi ē tenebris su-
is educi possunt. Rec. Imp. de anno 1548. T. 34. §. 1. 2. 3. Rec. Imp. de
anno 1577. rot. tit. 35. Nihilominus vero nemo non videt Do-
minum Thomam unice maligno in orthodoxos Theo-
logos affectu præpostoram illam singnificationem vocis hæ-
refoes, haec tenus inauditam, nec ullibi fundatam, in suo Sy-
stemate effinxisse, atque eodem animo sequentia scripsisse
verba: Quodsi heretici ex mea sententia metiendi sunt, vereor, ut
multi ex orthodoxissimis, sub quorum nomine omnes intelligo, qui si-
dem salutarem ad formulas & symbola merintur, hereticorum classi
sint adscribendi. Scilicet ipse infensus est orthodoxis Theo-
logis, qui veritatem, Libris Symbolicis comprehensam, de-
bito zelo defendunt, & fecus atque aliter, ac sacra scriptu-
ra, docentes & sentientes, tanquam hæreticos, notant, &
cum viderit, hac in re quandoque abusum committi, nec

A 3

raro

raro sub arte hæretificandi pestimos in proximum affectus velamine zeli exerceri, hinc in alterum extremum lapsus, ut hæretices, sit venia verbo, hæreticos dixerit. Sed redeundum est ad vocem hæresis, &, quomodo vere, non sarcastice, definiri possit, videndum est. Aliter vero Hæresin Theologos, aliter JCtos definire, constat, illi ex sensu sacræ scripturæ, hi ex sententia legum. Difficile esse, Hæresin in sensu scripturæ definire, ajunt Thomasius in *Disf. all. An Hæresis sit crimen?* Titius in *jur. priv. L. 9. cap. 15. §. 18.* Zigler. in *not. ad Lancell. L. 4. tit. 4. §. 1.* Sed nostrates Theologi, referente Sam. Stryck. in *not. ad Brunn. L. 2. cap. 18. §. 12.* quinque requirunt, ut quis possit proprie Hæreticus dici, uti quinque illa requisita recentet Stryck. *all. 1.* His convenienter hæresis in sensu Theologico erit pertinax error in fundamento fidei ejus, qui membrum Ecclesiae visibilis est, aut fuit. Quæ definitio, sine ratione solida, displicet *Dominio Thomasio in all. Disf. An hæresis sit crimen? §. 4.* quia ipsi articuli fidei sunt incerti, & sœpe ex proprio cerebro, uti apud Pontificios in aprico est, fundamentales cudentur articuli fidei, qui minime tales sunt, qua in sententia ipsum ducem habere Arnoldum observavit *B. Dominus Fecht. in Syst. & Exam. in Theol. in diff. ubi cap. 13 §. 7.* dicens: *Thomasius ex Arnaldo gesticulationes suas de fundamentalibus fidei articulis desumptissæ, & ex tota hac materia fecisse ludum.* Idem Dominus Thomasius Hæresin in sensu civili, spectato usu & praxi, describit, quod sit discessus à religione dominante, in *Disf. de jur. princ. circa Hæreticos 35. & 44.* Abhinc non abludit Huber, in *Tr. de jure Civitatis, L. 3. Sect. 2. cap. 5.* & aperte definitionem istam probant Bohmer, in *addit. ad Schilt. Inst. jur. Can. Lib. 1. tit. 19. §. 5.* Titius in *geissl. Recht/ L. 3. cap. 5. §. 35.* & in *Jur. priv. L. 9. c. 15. §. 18.* ubi & que hæresin definit, quod sit discessio à religione dominante, te sine totali ejus negatione. Nobis nunc cura cordique sit, hæresin juxta leges definire, quæ, jure Justinianeo, est deviation, à quatuor Conciliis oecumenicis, Nycena, Constantiopolituna, Ephesina & Chalcedonensi. *Nov. iis. cap. 3. §. 19.* seu

seu est dissensus ab orthodoxia seu formula fidei publice præscripta. L. 7. §. 4. L. 9. §. 3. C. de Summ. Trin. Itaque, quando in L. 12. §. 1. C. de Her. Hæreticus definitur, qui vel leví argumento à judicio catholica religionis & tramite detrecti fuerint deviare, tum Dominus Cocceius in Dis. de jure circa Hæreticos §. 9. per tramitem unicum (civilem sc. post verbum Dei) prædicta 4. Concilia intelligit; vid. Gotofr. ad Lib. 28. Cod. Theod. tit. de Hæreticis, ubi late istam definitionem enucleat. Hinc ait Cocc. cum Evangelici omnia quatuor Concilia, tanquam normam Ecclesiarum catholicarum, sequantur & recipiant, ideo non posse eos pro hæreticis haberri. Atque Rittershusius ad Nov. p. 6. c. 3. n. 14. scribit: *Hanc definitionem si sequamur, multos à crimine hereticos absolvemus, qui tamen à maleficiis hominibus persimis modis damnantur & traducuntur.* Ita res erat de jure Justiniane. Sin 13. spectemus præsentem Reipubl. Germ. statum, nova in sensu civili Hæretici definitio enascitur. Etenim ante reformationem Lutheri una pontificia religio erat; Ex quo fere B. Lutherus ob subingressos abusus in doctrina & disciplina eam repurgandam suscepit, post mortem ejus Augustana Confessio per pacem religiosam communis Imperatoris & omnium Pontificiorum quoque Statuum Imperii consensu factam, publice in Germania recepta est, quae pax deinde in Comitiis Augustanis confirmata anno 1553. & in vim legis fundamentalis in corpus recessuum per modum recessus relata est. Impugnarunt temere hanc pacem plurimi ex Catholicis, præter Dillingenses præprimis Burkardus Autonom. & post ipsum & alios Ernestus ab Eusebiis, cui satisfecit H. Conring. *de pace civili Protestantibus danda, & ex ipsis Catholicis Samuel Lobkowicz in Demonstr. pacem religiosam esse licitam, Schilter, de pace religiosa, cap. 3.* Verum cum in dicta pace religiosa haec clausula adjecta fuerit: *Quotquot nec catholice religioni; nec Augustana Confessioni (ut nempe illa anno 1530. Carolo V. est exhibita) addicti sunt, bi beneficio pacis non fruantur, sed ab ea penitus exclusi sint, uti eam exhibet Londorpia L. 1. c. 29. de Bell. Germ. & similiter in recessu imperii de anno 1555. eadem clausula*

Germa-

Germanico idiomate ita efferatur: Doch sollen andere so genannte / so gemeldten beyden Religionen nicht anhängig/ in diesem Frieden nicht gemeynet/ sondern gänzlich ausgeschlossen seyn; inde primum calamo , deinde armis certatum est, an Reformati, seu, uti dicebantur, Calvinistæ, aut Zwingeliani, sub pace religiosa comprehensi essent? vid. Schilter, de pac. relig. cap. 6. Sed cum Ferdinandus II. Imp. editio restitutorio 1629. pacem religiosam ad folos Pontificios & A. C. status restringeret, & Reformatos expresse excluderet, sicque belli civilis ac religiosi causam daret, Schilter, de Lib. Eccl. Germ. 7. 12. 6. seqq. tandem tamen post multum effusum sanguinem pace Osnabrugensi Reformati Statibus A. C. per omnia exæquati sunt art. 7. §. 1. I. P. O. Quapropter in Capitulatione Leopoldi §. 19. & huic consonis Josephina & Carolina hæc verba leguntur: Denen A. C. Verwandten / die Reformirte mit eingeschlossen. Scilicet Imperator, quamprimum electus est, in Capitulatione sua Evangelicæ & Reformatæ religioni æque, ut Pontificiæ, tutelam & defensionem jurato promittit art. 1. cap. Leop. Itaque juxta modernam ingenii faciem in sensu politico respectu effectuum civilium hæretici censendi non sunt, qui uni è tribus in Germania receptis religionibus addicti sunt. Unde apparet, posse aliquem in sensu scripturæ vere hæreticum esse, qui tamen qua effectus politicos talis non habetur, idque propter Pragmaticas Sanctiones & Constitutiones. Qvemadmodum vero, quicunque unam ex tribus in Germania approbatis religionibus amplectitur, hæreticus non censetur, ita vicissim, quicunque diversam à tribus religionibus sectam profitetur, & ab articulis fidei illarum approbaratum religionum discedat, ille in Imp. Germ. hæreticus dicendus est, uti sunt Anabaptistæ, Sociniani & Arrianici &c. Atenimvero, cum res magni præjudicij sit, civiliter hæreticum esse, non temere mox quis pro tali habendum est, sed duo adesse debent, 1.) ut quis in fundamentalibus fidei à tribus religionibus receptis discedat. Exinde sequitur hæreticos in se non esse, qui tantum in Adiaphoros, aut

aut circa ea, quæ fidei articulos non convellunt, dissentientia
juxta vulgatum: Dissonantia jejunii non tollit consonantiam
fidei. Longe minus vero si mox in numerum hæreti-
corum referri debent, aut novis festarum nominibus ad
invidiam compositis onerandi sunt, qui sanam doctrinam
ubique habent, & licet suis verbis, idem tamen cum aliis,
loquuntur, cum ultra privatorum sortem sit, alterum cogi-
re, ut verbis alienis suam necessario exprimat mentem. De-
nique ab hæreticis separantur schismatici, quasi melioris
notæ, utpote, qui salva fide à communione reliquarum Ec-
clesiarum recedunt, seu schisma est discessus ab unitate Eccle-
sie ob odium personæ c. inter hæresin 28. c. 24. qu. 3. Brunn. &
Stryck. L. 2. c. 18. §. 15. quamvis qua poenam inter hæreticum
& schismatique nullam differentiam fere agnoscat *Decianus*
in tr. Crim. L. V. c. 67. add. idem cap. 60. & sqq. capp. ubi late
de schismate & schismaticis agit. Deincepsz.) ut quis legi 16.
time hærefoes sit convictus & damnatus, necessum est; Si
enim accusatio sufficiat, quis erit innocens? De processu 17.
contra hæreticos formando, & quomodo in causa hæresis
procedatur per accusationem, inquisitionem & denuncia-
tionem, item, de probationibus, &c. late, ex juris pontificii
principiis, & juxta praxin Pontificiorum, agit *Decianus* in tr.
Crim. a cap. 27. ad 37. Attamen nobis satis erit dicere, omnia
legitimo processu peragi debere, qualiter vero processus le-
gitimus se habeat, nostrates JCti, qui de processibus tam
civili quam criminali accurate scriplere, edocere possunt.
Et si vero Pontificii JCti non raro multa singularia circa pro-
cessum in hæresi statuant, tamen illa merito damnamus, si
à legitima processus figura discedant. Sic nemo non bru-
tam illam Hispanicam inquisitionem cum suis inquisitori-
bus hæreticæ pravitatis ad inferos relegabit. Itaque et si, te-
ste Mynsingero 2. obs. 43. jure canonico hæreticus fiat ipso jure.
h. e. eo ipso, quod pravos in religione errores foveat, at-
tamen hoc in foro civili, ubi de poena irroganda agitur, non
procedit, sed, prævia causæ cognitione, sententia, si non con-
demnatoria, tamen declaratoria, accedere debet. *Myns.* all. 1. &
B vulgo

18. vulgo Doctores. Hinc sua sponte sequitur, pro hæreticis, veluti convictis & damnatis non statim haberi posse, quos privatae sortis contradictores condemnant, iisdem auctorum, testimoniis, judicum partes subeuntibus, & non raro plus affectui, quam veritati, indulgentibus, potius damnabilis videtur promiscua illa privatorum hæretificandi licentia, maxime si ea utantur, quos nulla officii ratio in communionem hujus juris admittit. Etenim existimamus, uti in aliis delictis, ita in crimine hærefoeos, privatis solam vel denunciandi, vel accusandi facultatem relietam esse. Ast qui accusatoris vel delatoris munere fungi cupit, prius bene perpendat L. 25. C. de probat, ibi, sciant cuncti accusatores, eam rem jē in publicum deferre debere, que sit munita apertissimis documentis vel indiciis ad proportionem indubitatis, & luce clarioribus expedita. Nam si quis innocentem vel deferat vel accuset, præterquam quod ad restitutionem honoris, famæ, sumptuum & damnorum, condemnandus sit, etiam extra ordinem, veluti calumniator puniri potest, cuius poena olim ex Legē Khemnia erat inusta fronti calumniatoris Lit. K. postea poena talionis statuta l. fin. C. de Calunn. hodie arbitraria, eo gravior tamen statuenda, ubi quis sub pretextu zeli, revera autem ex invidia, ambitione, aliove vitiioso affectu alterum hærefoeos causa diffamat; Vid. Decianus in tr. Crim. L. 5. c. 57. n. 20. ubi statuit penam talionis in calumniatorem in crimine hærefoeos juste irrogari; hinc Glossa in C. sane 24. qv. 2. tenet, ubi quis accusavit mortuum de hæresi, talem accusatorem succumbentem poena ignis, qua punitus fuisset hæreticus vivus, puniendum esse. Verum conqueritur Decianus all. l. inquiens: *Hodie male illud observari, cum raros viderim accusatores condemnatos, & tamen plures reos absolutos, quod quidem maximum parat scandalum fidelibus.*
21. Cum vero hac ratione privatis hæretificandi potestas minime competit, ideo dispiciendum est, uter in hæresi sit competens judex? Ex professo hoc thema per tractavit Dominus Carpzovius Theologus in Dis. de jure decidendi controversias Theologicas. Sed huic Dominus Thomassus opposuit Tract: Das Recht Evangel.

Evangelischer Fürsten in Theologischen Streitigkeiten; ubi plane nullum judicem in controversiis Theologicis admittit, quin ipsum Principem, veluti incompetentem judicem, recusat; Nec minus Concilia, Synodos rejicit, Ministeriorum & Facultatum Theologicarum judicia insuper habet. Summa ex ejus sententia in Controversiis Theologicis optimum est medium, tolerantia omnium religionum & quarumlibet opinionum, all. tr. pos. 1. 7. 8. Palmarium pro hac paradoxa sententia in Diss. *An Hæresis sit crimen* §. 9. in eo constituit, *quod de sit in terris iudex, qui evidenter & cum convictione adversariorum errorem monstrare possit.* Habet hoc argumentum speciem, indeque aptum, ut cuidam imponat, Verum, dicimus, quod Verbum Dei, in sacra scriptura manifestatum, omnium Controversiarum Theologicarum supremus & infallibilis sit iudex, quatenus, ut authentica fidei norma, consideratur; Et si vero hæreticus æque ad scripturam sacram provocet, eamque pro se adducat, sicut profiteri nolit se hæreticum esse, tamen ipse securius totius Ecclesiæ sententiam pro regula accipere debet, quod tali Ecclesiæ Salvator spiritum veritatis promiserit, nec adeo concessurus, si pio zelo & veritatis studio congregetur, ut à vero aberret, uti loquitur Coccej. in Diss. de jure circa hæret. §. 1. quam ut sine fundamento divino Ecclesia repugnet. Deniq; quanta rerum confusio in Ecclesia non induceretur, si cuiquam quicquam statuere & sentire liceres, nec ullus in controversiis admitteretur iudex. Modernus usus & praxis inter Protestantes quoque recte aliud servat. Ante Reformationem Lutheri 22. solus Pontifex jus sacrorum usurpabat, hinc, cum hæresis esset crimen Ecclesiasticum, ideo solus iudex Ecclesiasticus competens erat, qua de re vid. late Decianus in all. tr. Crim. L. V. c. 21. 22. 24. 25. Qvanquam vero complures regionum Do- 23. mini ante instaurata sacra & ante tempora transactionis Pas- saviensis & pacis religiosæ multum juris in sacris sibi vindicarint; tamen per pacem religiosam & plenius per Instr. Pa- cis Osnabrugensis omne jus circa sacra à Papa de facto usur- patum

patum veluti potissima pars superioritatis territorialis jure
 postliminii quasi ad Status Imperii Evangelicos rediit art. 5.
 §. 47. Instr. pac. Westphal. Rhet. Dis. de Jure Statuum Imperantia-
 um circa sacra, cap. 2. n. 10. ubi ait: *Jus circa sacra statibus Imperii*
per pacem religiosam & Westphalicam non tributum, quasi antea non
habuerat, sed solum factum esse, quod jam libere & tranquille, sine
ulteriori Pontificis turbatione, idem exercere posset. Similiter Hen-
 niges in Med. ad Instr. pac. Osnabr. ad art. 5. §. 48. scribit: *Episco-
 pali jure non egemus in vindicanda Principibus nostris Ecclesiarum cu-
 ratione & directione rerum sacrarum.* Ex quo enim *jus Diaconatum*
contra hos suspensum fuit, revixit statim jus eorum Territoriale circa
sacra, cui hactenus cleris pontificis usurpatione, nescio cuius generis
imperii impedimento fuit. Add. Corrigendum in obs. ad Concord. Germ.
 p. 34. n. 22. idem ergo & cum iis praetimis Titius in jur. publ.
 L. 3. c. 2. §. 53. ferre nequeunt illorum Philosophiam, qui hanc
 partem Superioritatis Territorialis à Pontifice in Status Ev-
 angelicos derivandam esse censem, quasi eam demum à Pa-
 pa vi Transactionis & pacis Osnabr. obtinuerunt. Hinc mi-
 nime tolerare possunt, qui in persona Principis personam
 Episcopi fingunt. Vid. Stryck. Dis. de Jure Papali princ. Evan-
 gel. quam doctrinam papalem incongruam, & Protestantibus noxiām,
 & ignominiosam esse, adstruit Titius im geistlichen Recht / L. 1. cap. 4.
 §. 18. &c. Atque idem sentit Henniges ad Instr. Pac. Westph. art. 5.
 §. 48. in verbis; *non videntur mibi de Principe satis magnifice lo-
 qui, quibus ille in sua ditione Episcopus audit, non magis sane, ac si
 confidem vel confilium dixerit.* Conf. Anonymi scriptum, gedruckt
 Hale anno 1719. von Untersuchung des wahren Grundes/ aus wel-
 chem die höchste Gewalt eines Fürstens über die Kirche herzuleiten.
 Ex dictis hactenus constat, Principibus Evangelicis hodie
 competere *jus sacrorum*, quo respicit vulgatum illud: *Cu-
 jus regio, eius religio.* Qvod, velut nefandum, damnat Mev.
 ad ius Lub. prelim. qvæst. 3. n. 22. Sed recte intellectum nil
 impietatis continere videtur, si modo distingvatur inter re-
 ligionem, & quod religioni extrinsecus accedit, seu inter œ-
 conomiam religionis internam & externam, hæc, velut pia
 reli-

religionis conservatio, Legum Ecclesiasticarum promulgatio,
heresis coercitio &c. omnino ad Magistratum spectat, & in-
ter civiles curas dignissima semper habita est. His conse-
quenter affere nulli dubitamus, summam potestatem &
imperium ad determinandas controversias se extendere.
Existimamus quoque, communem gentium rationem omni-
um jurium divinorum & humanorum consensum docere,
ejus esse de heresi cognoscere & statuere, qui sumnum in
Republ. imperium habet. Neque moramur, quod objici
solet, Principum plerosque ad hanc rem non esse aptos, cum
plane mens nostra non sit, ut Princeps solus suo arbitrio a-
gat, sed confilia volumus adesse, praeferimus eorum, qui in sa-
cris periti, in hac ipsa sacrorum re. Hinc Principes Evan-
gelici exercitium hujus juris & potestatis in plerisque Ger-
maniae Provinciis Consistoriis delegarunt, ut in hoc judicio
Ecclesiastico ordine & plenaria cause cognitione facta con-
tra haereses postulatos & suspectos procedatur. Abhinc 24.
non abeunt patriæ leges in Pomerania nostra, quibus haec
potestas Consistoriis est tributa. *Conf. Inst. P. 1. c. 2. §. 2. P. 2.*
§. 7. c. 3. §. 4. Pommerische Kirchen-Ordnung / fol. 32. p. 3. tit.
Was für Sachen für dem Consistorio gehörig seyn. Quid ubi gra-
vitas cause postulat, res Illustrissimo Regimini à Consistorio
communicanda, & cum omnibus circumstantiis referenda,
& Illustrissimi Regiminis judicium una attendendum est.
Conf. Inst. P. 2. §. 7. Præterea, ubi opus visum est, ordinum
Consilium & Consensus requiritur, generalis quoq; Synodus
convocari potest. Kirchen-Ordn. P. 1. §. pen. Vnde aber Land-
Tags-Absch. de anno 1614. §. Nesci diesem haben wir: ibi; Vol-
len auch unsre gehorsame Stande jederzeit bey der Augsburgischen
Confession schützen/ und alles/ was darwieder lauffen und heimlich ein-
schleichen würde/ so oft es nöthig/ mit ihrem Raht und Bedenken
abschaffen. Quid si nunc quis inter Evangelicos coram iis, 25.
quibus data est potestas in causa heresis cognoscendi &
judicandi, legitime convictus & ab iis damnatus sit, quod fo-
veat dogmata, ab Evangelicorum articulis fidei dissona, ille

pro hæretico habendus est, & quidem in sensu Theologico indistincte, civiliter & politice vero non aliter, uti dicendum mihi quidem videtur, quam si illa dogmata etiam à Catholicis & Reformatis improbantur, veluti quæ in articulos fidei impingunt. Etenim non putamus, pro hæretico civiliter tali quem censeri posse, qui ex cætu suo in uno aut altero articulo discedit, & in iis alteram, in Germania receptam, religionem sequitur. Ponamus, esse ex Pietistis, qui qua bona opera cum Pontificiis sentiunt, hi sensu Theologico ab Evangelicis Doctoribus recte pro hæreticis habentur, sed non æque civiliter tales erunt, quia totus Catholicus hæreticus civiliter non est, quanto minus Lutheranus in uno articulo cum Pontificiis, de cætero vero cum Lutheranis sentiens. Verum, dum Pietistarum mentionem fecimus, placet excutere qvæstionem: An Pietista hæretici civiliter tales jure censeantur? Circa quam qvæstionem primum principaliter videndum esset, quid sit Pietista? Dominus Thomasius in seiner Apologie wieder etliche Sächsische Theologen in horum invidiam scribit: Pietisten seynd fromme Christliche Leute, welche die Theologie zu Wittenberg und Dresden nicht leiden können / weil ihr gottseliges Leben und Wandel mit ihrem Äffter Pabstithum ganz nicht reimen will. Sed quis in verbis istis non videt Sarcasmum, & injuriam optimis viris illatam? Nos definitionem Pietista non adeo curamus, & eam Theologis expediendam relinquimus, quia ea ad scopum juridicæ nostræ translationis non adeo necessaria est, sed hoc respectu cardo totius rei in his situ videtur. 1.) An Pietismus inferat religionem in articulis fidei à tribus in Germania receptis plane diversam; An hujus legitimate sint convicti & damnati. De primo vix dubitare licebit, cum ex ipsa Pietismi voce confessi qui videatur, sub illa distinctam à tribus approbat religiōnibus latere se dā, cum neutra ex Pietismi nomine insigniatur. Verum hoc à nomine desumptum probationis genus Dominus Wolff. Textor in jur. publ. nullatenus vult admittere, quam in rem ita scribit: Sed videamus, hec invidiosa nomenclatio

si quid monstri alat, & unde orta. In vulgaris notum est, Pietistis nomen ab aspera pietatis commendatione impositum esse. Ast si adeo sumpta sit pietas, ut qui in tam languenti Christianismo serio & sepe ad pietatem abortantur, mox heretici qui seculari titulo insigniantur, quorsum demum res christiani progredietur? Nomen verendum est, ne pietas christiana in meram hypocrisyn aut Atheismum practicum committetur? Adhuc alii, dicente eodem Textore, à pietatis conventiculis nomen ducunt, & his crimen inesse censent. Ast conventus pietatis causa instituere per se illicita res non est, potissimum, ubi nulla lege prohibentur, sed potius tolerantur & permittuntur. Evidem vulgo objiciuntur abusus varii, qui plerumque comitari solent. Sed si alius ac pia forsan mente intentus finis per accidens sequatur, exinde non magis res damnabilis erit, quam alia vel optima instituta, ex quibus non raro sequior, ac optatur evenire solet usus. Interim ultro concedimus, quia privati conventus nulla lege divina præcepti, & illis abusus vulgo implexi sunt, ideo Magistratum eos optimo jure prohibere, & ubi prohibiti sunt, neminem, salva conscientia, eos cogere aut frequentare posse. Sturtz, in Disf. de Relig. una, cap. 19. pag. 31, 32. Schomerus, Prof. Theol. Rostoch. in 4. Disf. de Conventiculis Pietatis anno 1684. habitis Spener, in seinem Theologischen Vedencen/ Sezt. 19. & 20. p. 80. & os. quem ideo allegare placuit, quia ipse, qui alias conventiculorum pietatis patronus & promotor dicitur, tamen veritati concessit, quemvis Christianum, ubi Magistratus ea prohibuit, hujus mandato obsequi debere. Attamen, ubi quis contra prohibitionem Magistratus conventicula instituit, ille ideo solum non erit haereticus, sed potius, veluti Magistrati inobediens, coercendus est. Itaque cum sola nomenclatura vocis Pietista minime satis probet, Pietistas civiliter haereticos esse, neque tamen eadem ipsis præsumptionem innocentiae omnimodæ præstabit, quasi injuste proper commendationem pietatis sic dicentur. Etenim Historia Ecclesiastica docet; Haereticos sepe speciem pietatis & salutis æternæ prætulisse, & abusus orthodoxorum subinde alle-

allegasse & improbase, ut hoc fuso prava sua dogmata animis hominum insinuarent. Ergo, plane seposito nomine, re ipsa videndum est, an foveant hypotheses, à tribus receptis religionibus distinctas? Negari nequit, multos Fanaticos à Theologis nostris in classem Pietistarum referri, qui omni jure heretici dici merentur; nec minus vero confitatur, nonnullos hoc titulo vel innocentissime onerari, & vel ideo, quia piam ducunt vitam. Apprime hanc in rem sunt verba Baronis de Lyncker Dec. 393. ibi: Nachdem durch die aufgebrachte Benennung der Pietisten der Missbrauch eingestellt / daß rechtsschaffene fromme Christen wann sie / in einem frommen Leben und Wandel einher zu gehen / sich befestigen / von weltlich - gefüllten, sonderlich von denen Geistlichen / welche selbst ein sträfliches Leben führen / zur Verachtung mit dem Rahmen der Pietisten / der so viel als Schwärmer und Quäcker bedeuten soll / beschmiert werden. xc. Quid experientia testis est, plures Pietismi insimulari, & cum aliis in unam compendi classem, inter quos non solum nulla est opinionum communio, sed magis discordia. Quidam eo fere deventum videtur, ut nostra aetate quicunque dissentiens in religionis quidem causa mox Pietista audiat, quasi hoc nomen cuique pedi esset aptum, qualis vero incompatibilium commixtio fere prodit, non ubique litarum veritati saepe ex affectu agi. An accommodate ad nostrum seculum scripsit Beust. de matr. c. 37. quando de sua aetate ita scribit: Magna prudentia & discretione est opus, praesertim in hoc exulceratissimo & quorundam Theologorum invidiosissimis Disputationibus, aliis expendendum relinquam. Nobis satis sit dicere, quae nostra sit sententia, Periculosa nec christiana res videtur, quoscunque dissentientes optimos pessimosque, & vel desperatissima ingenia uno metiri modulo ac pertica, & mox ignominioso, ex vulgi sensu, Pietiste nomine commaculare. Plane non indigemus hac invidiosa, & veræ pietati insidiosa appellatione, sed singulorum doctrinæ sunt penitulandæ, & ex iis, citra nomen scilicet, an sit hereticus, vel non, statuendum, quam in rem iterum notatu

notatu digna sunt verba *Lynckeri in all. Dec. 393.* ibi: Weßhals
 ben Christliche Obrigkeiten bereits an unterschiedlichen Orten diese
 läbliche Gewohnheit gemacht/ daß man weder auf den Canteln/ noch
 sonst/ den Nahmen der Pietisten weiter brauchen/ sondern dieje-
 nige Zerthümer/ so etwa einer oder der ander von denen/ so man
 denen Pietisten/ oder derer Führer (wie man sie davor hält) zurech-
 net/ bis anhero vertheidiget/ und der gefunden Verunfft entgegen
 seynd/ wiederlege/ um die Gemeine dafür warnen solle. Tandem
 restat, ut videamus; An Pietistæ legitimate de hæresi sunt con-
 victi? Hoc negat *Job. Wolfgang. Textor, in Jurisprudentia publica*
versatissimus JCtus, quando in Jur. publ. hæc verba posuit:
Pietistæ nec erroris circa fundamenta fidei, nec dissensus à tribus ap-
probatis religionibus quoad articulos fidei hæc tenus sunt convicti. Eo-
 dem fere sensu differit *Lynck. in all. Dec. 393.* ibi: Die Sache/
 welche unter denen Nahmen der Pietisten eigentlich zu verstehen und
 begriffen seyn sollen/ noch zur Zeit in *Conformatiät* nicht ausgespro-
 chen. Attamen cautione hic omnino opus, quam principio
qvæstionis hujus dedi, nempe multos Fanaticos &c. Pietista-
 rum numero adscribi, qui omnino hæretici sunt; alias vero
 constat, per pragmaticam aliquam Imperii constitutionem
 Pietistas pro hæreticis, civiliter talibus, nondum declaratos
 esse. Quid si vero in una alterave provincia hoc factum sit,
 ibi, omnino hypotheses & errores circa articulos fidei à tri-
 bus religionibus discrepantes, ipsis tribui necessum est. Ita-
 que, ubi quis tales fovere convincitur, nec monitus emen-
 dationem admittit, iste pro hæretico recte declaratur. Sed 27.
 caveant sibi privati, ne potestatem civili imperio competen-
 tem temere usurpent, & jus applicent, ubi factum deest. Sed
 demum proprius ad scopum dissertationis est accedendum,
 & cum de pœnâ hæreticorum agere propositum sit, prius
 prejudicialis qvæstio, an hæresis sit crimen, expedienda est.
 Olim hæc qvæstio JCtis incognita & fere dominiana, dum
 utroque jure, Canonico & Civili, hæresis grave & detestabi-
 le habetur crimen, quia gravius est crimen, divinam quam
 humanam offendere majestatem. L. 4. §. 1. c. de heret. inde
 JCtū

JCTi crimen læse majestatis divinæ hæresin appellant. Vid. Decianus in tr. Crim. L. 15. c. 19. ubi integrō capite de atrocitate hæresis agit. Sed primum ex JCTis Thomasius ex professo hoc problema: *An hæresis sit crimen?* in speciali Dissertatione, per modum dialogi, inter Chrifianum & orthodoxum, per tractavit, & negative decidit. Sed ipse super hoc thema ita disputat, ut omnem plane tollat, nullamque prorsus agnoscat hæresin, quatenus ea erroneum à revelata fidei doctrina conceptum denotat, & ē contrario afferat, omnem hæresin consistere in voluntate, & ex sensu sacrae scripturæ non significare errorem. Opposuit eodem anno, quo Thomasii Dissertatione prodiit, D. Ioch. Jüphus Breithaupt *Disf. de hæresi*, qua probat, hæresin quoque involvere errorem intellectus, quamvis Author hic in ista quidem dissertatione, quam legi, stylo scribendi obscuriori utatur, ut mentem ejus ubique sequi mihi non liceat. Nolumus quidem in Theologię penitralia abire, nec tamen afferere dubitamus, hæresin, quatenus est error, circa articulos fidei contingens, in foro divino crimen esse, hocque damnable. Itaque vereor, ne fallatur hæreticus, si sibi persuadeat, fore, ut hæreticus in extremo judicio sententiam æternæ damnationis, per exceptionem: *Quod hæresis non sit crimen*, evadere possit. Sed magis fori nostri disquisitio: An jure & foro humano hæresis sit crimen? Qva in re cum illustri Domino Coccejo in *Disf. de jure circa hereticos* §. 20. primum distingvendum existimamus, inter hæresin & falsam opinionem, vel criminis, quæ hæresi conjuncta aut implexa sunt, vel esse solent, ut non tantum, si cohærente studia seditionum, factionum &c. sed eti qualsicunque alia malitia, vel contumacia, vel injusta cupido, vel pervicacia concurrat. Deinceps inter hæresin seu falsam opinionem de fide, & inter facinora, quæ legibus prohibita sunt, & à Fanaticis defenduntur, uti fuit Anabaptistarum furor, qui privato ausu templa destruxere, jura magistratus invaserunt, quin cædibus pro lubitu grassati sunt. Jam saltem in questione est, cetera enim, hæresin esse crimen, inter concessa

cessâ à Domino Coccejo accipimus, an heres, in se spectata, quatenus in solo opinionis circa fidem & ejus fundamentum errore ac falsitate consistit, atq[ue] adeo ab omni malitia separata est, pro crimine haberi debeat? Atque hoc negat Dominus Coccejus all. *Diss. §. 22.* quia crimen sine dolo malo non committitur, nec malitia esse potest, ubi nulla est proerēs, vel male agendi voluntas, perpetuoque, cum iure tum apud Autores, error & crimen ab invicem separantur. Inter cætera enim mortalitatis incommoda est caligo mentium, quare *Seneca de Ira L. 21. c. 9.* scribit: Error in homine calumniari, est, toti ipsi mortalitati convitum facere. Itaque, ubi homo errat, sicut huminitus errantis non est voluntas, ita pariter nec delictum esse potest *Kestner. in Jurisprud. papizante, cap. 4. §. 7.* qui verba & mentem Cocceji secutus est. Sponte concedimus in sententiam Domini Cocceji, si is, qui haereticas sententias tenet, eas animo premit & tegit, vel etiam non mala mente, sed ut recte de iis informetur, aliis manifestat, dum forsan tentationibus maligni spiritus urgetur & affligitur, qualis omnino in foro soli à crimine vacuus est. Sin quis eas contra Superioris prohibitionem publice disseminet ac divulget, ut alios in suam sententiam pertrahat, hoc factum crimen erit. Nam qui sciens contra Leges & Magistratus interdictum nova & prava dogmata invehit docendo, scribendo, cætus colligendo, ille, cum ex proerēti Leges Superioris transmigrat, hoc ipso crimen contrahit. *Ziegler. ad Lanc. L. 4, tit. 4, pag. 941.* Neque moratur sententiam Domini Thomastii in *Diss. An heres sit crimen?* frustra dicentis: Doctrinam communem de prohibitione propagationis hereticarum opinionum esse pallium tyrannidis & dominatus in conscientiam, & inde Principem non posse prohibere, ne quis falsas & haereticas opiniones, quas proferens bonas & salutares habet, publice divulget, sub praetextu Deo plus obediendum esse, quam hominibus. Vid. all. *Diss. d. l.* Atque ita ex sententia ejus liberrima sentiendi, dicendi & scribendi licentia conscientis est relinquenda, ita, ut quævis religio à quovis induci & oppugnari possit. Supereft, ut desideret, etiam in homicidiis, adulteriis & quibuscumq[ue]

sceleribus ac flagitiis quemquam libere suo arbitrio esse permettendum. Sed minime probatum est, tantam conscientiam esse libertatem, ut effrenis esse debeat, nec omnino adstringi queat: Potius, cum mens humana vaga, & novitate rerum lætissima, obicem poni, necessum est, ne Respubl. turbitur, dum sub prætextu libertatis conscientiarum in divinis temere à quoquam innovatur. Deinceps, licet nemo Rex alicui possit impone necessitatem, serio & corde credendi, quod nolit, vel quod velit, non credendi, quia solus Deus Mentis Rex animis hominum imperare potest, tamen Principum potestas eo se extendit, ut linguis ac manibus hominum frænum & vinculum injicere possit, ne falsa & sacræ scripturæ adversa dogmata ob metum seductionis aliorum, magnoque Reipubl. periculo, loquendo vel scribendo spargant, qua ratione Princeps nullum dominatum in conscientias, sed solum in externas hominum actiones imperium jutte sibi sumit. Neque hæreticus inobedientiam suam palliare potest dicto Apostoli: Deo plus quam hominibus obediendum esse. Nam hoc dictum sacra scripturæ sæpenumerio in abusum trahitur, atque in præsentiarum ab hæreticis evidenter detorquetur. Apostoli recte hoc adducebant, cum immediate mandatum à Salvatore ad prædicandum Evangelium omnibus gentibus acceperant, & erant viri Θεόπνευστοι. Hæreticis vero deest immediatum mandatum ad proferendas falsas hypotheses, & eos spiritus mendacii agit, ubi ipsos decet magis obtemperare Magistrati, quod præcepto divino est conforme, quam fraudem conscientiae suæ sequi, cui illudunt affectus vitiosi, & per hos malignus spiritus. Præterea circa sententiam Domini Cocceji hæc cautio observanda est, quod quidem bona fide errans in articulo fidei, & corrigi paratus, si aliter invenerit, nequam inter hæreticos mox deputandus sit. c. 29. caus. 24. qvæst. Attamen ubi ipsi luculentissimis scripturæ sacræ dictis & argumentis veritas demonstratur, & se iis convinci non patitur, & pravas hypotheses pertinaciter defendit, sub prætextu, quia, probe omnibus perpensis, sibi aliud persuadere

svadere non potest, tum talis non quidem dolosum crimen
 committit, si vere ita persuasus sit: culpa tamen omni va-
 cuus non videtur, quod meliora sentientibus & monstranti-
 bus cedere nolit, quia sic versatur in errore vincibili, qui
 neminem obligationi penitus eximit, sed imputatur; alias
 enim idem circa crimina excusaret, ubi quis opinatur, fcele-
 ra esse licita, uti quidam statuere, scortationi fine salutis di-
 spendio operam dari posse. Sin dicat quis, tale delictum Ju-
 re Naturæ prohiberi, tum negabunt hoc, qui ea defendant,
 uti de sodomia incestu negavit Thomasius in jur. div. ea cri-
 mina Jure Naturæ prohiberi. Deinceps cognitio juris na-
 turalis propter perditam hominis naturam æque obnoxia
 est erroribus, & magis sere, quam notitia credendorum, quæ
 scriptura sacra evidenter expressit. Sed festinamus ad alte-
 ram præjudicialem qvæstionem: An hæreticus puniri pos-
 sit? Jure Canonico & Civili iterum in confesso est; Hære-
 ticum multis poenis puniri, uti ex sequenti Capite Disserta-
 tionis constabit. Apud omnes gentes quoque violatarum
 religionum aliubi atque aliubi diversam esse poenam, sed
 ubique aliquam, tradit Seneca L. 33. c. 6. de Benef. quod multis
 exemplis doceri posset, si opus. Decianus in tr. Crim. L. 5. c. 40.
 n. 4. In Ecclesia Christiana quoque, quamprimum illa Chri-
 stianos habuit Imperatores & Principes, hæretici coerciti
 sunt, uti ex Cod. Justin. satis constat. Neque hoc juri divino
 adversum videtur Deut. cap. XIII. XVII. v. 5. 7. & cap. XVIII. v. 20.
 Sed hodie ea invalefecit opinio, hæresin puniri non posse.
 Thomasius Fürstlich Recht P. 2. poſ. 18. p. 192. Titius in Jur. priv.
 L. 9. c. 15. §. 18. & seqq. ubi præprimis §. 22. hæreticis immunita-
 tem afferit, quoad quamvis hæresin, quam enorma illa sit, & quamli-
 ber pœnam, quam levis illa sit. Itaque ex Titii sententia hæreti-
 cus morte, dolore, infamia, carcere, relegatione, multa &
 quavis alia pœna puniri non potest. Eandem doctrinam
 habet im geistlichen Recht L. 3. c. 5. §. 36. &c. quam dum emenda-
 re debuit, ei in Erfährlung seines geistlichen Rechts fucum fecit.
 Qvin Titius eam tenet sententiam, jus puniendi Atheum

29. hominibus non competere, hinc dicit: *Crudelitatem esse, Atheum mortii dare, nec rationi convenire, ut Atheum candidum penae dignum censemus*, ut si se habent verba Titii in jur priv. L. 9. c. 15. §. 39. De poena Athei nunc plura dicere non attinet. Vid. Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 20. §. 46. n. 4. Puff. de J. N & G. L. 3. c. 4. §. 4. idem de O. H. C. L. 1. c. 9. §. 29.: Breviter vero existimamus, Atheum, si modo vere talis sit, nec solum per fallam consequentiarum artem, poena dignissimum esse, &, si morti tradatur hic Deo rebellis, nullam eum conquerendi habere causam, si modo atrocitatem sceleris cogitemus, dum in Atheo non solum extremus malitia gradus est, qua obdurate contra rationis dictamen Dei existentiam negat, sed & negando ipsam societatem violat, & maxime directo & malitiose Majestatem divinam lredit. Quin si Princeps, qui vices Dei in terris gerit, Atheum impunem relinquat, ne ipse pro eo à Deo puniatur, totaque simul Respubl. evertatur, verendum est. Graphice enim hanc in rem scribit Augustinus, inquiens: *si ea, quibus vehementer Deus offenditur, insequiri vel ulcisci differimus, ad irascendum utiq; divinitatis patientiam provocamus.* Qvod si tamen Princeps Atheum, veluti hominem velanæ mentis, in domum disciplinariam tradere malit, ut hac doctrina ad sanam redigatur mentem, hanc Principis mansuetudinem & clementiam non temere quis vituperabit. Sed quod hæresin attinet, pro ejus impunitate ii, qui eam astruunt, varias, easque speciosas, afferunt rationes, inter quas principalis est, quod Summus Princeps circa credenda leges ferre nequeat, ergo nec errantem punire, &, quo legislatoria potestas se non extendit, eo nec punitoria pertingere possit. Deinceps ajunt, hæresin esse errorem, non crimen, ubi vero non est crimen, ibi nec poenam esse posse. Sed ad Imum dicimus: Deum, Dominantium omnium Dominum, credenda in sacra scriptura evidenter determinasse, contra quæ nullus Princeps legislatoriam potestatem usurpare, bene vero pro eorundem observatione cum gerere deberet. Nam Principi inspectionem in sacra esse, idque

idque tuendi causa sacræ literæ, earum Interpretes, communis ratio docet. Hinc ad curam Principis maxime spectat, ut Religionem puram & pacatam præstet, hæreses, turbas, & alia externa mala ab Ecclesia pellat, quæ vero, ubi hæreses exsurgunt, vix ac ne vix quidem obtineri possunt; nisi hæretici convenienti modo coërcantur. Neque tamen omnes uno modo puniri possunt, sed uti criminum gradus, ita poenæ esse debent. Qui bona mente errant, præstat, eos doctrina duci quam dolore & timore poenæ compelli. Qui vero mala libidine adducti falsas ac novas opiniones vel gignunt vel seqvuntur, vel contra prohibitionem potestatis civilis spargunt, sicutque Ecclesiam & Rempublicam turbant, ejusmodi novatores, alii alia pro gradu criminis, vel solum metu poenæ ad emendationem disponuntur, ut doceri possint, vel leni aut severa poena non immerito coërcentur. Quid si talia crimina hæresi implexa sunt, quæ poenam capit merentur, hæc quoque tum iuste irrogabitur. Verum cum eadem semper & certa hæreses poena statui nequeat, sed ea plurimum pro modo concurrentium criminum variet. *Coccej, in Dis. de jur. circ. heret. §. 25.* hinc in sequenti Capite de ipsis poenis acturi, plenius singularum applicationem exequemur.

CAPUT II.

1.) Poenæ ab Imperatoribus & Pontificibus in Hæreticos sunt constituta, & qua ratione Pontifices ad usurpationem hujus juris perverterint, ostenditur. 2.) Ordo tractationis de Pœnis. 3.) De spirituali poena, nempe Excommunicatione, late agitur. 4.) Agitur de poenis, quæ famam & dignitatem spectant, ex quibus primum adducitur Relegatio. 5.) Traditur intellectus articuli VII. §. 2. in fin. Instr. Pac. Osnabr. ubi simul agitur de tolerantia trium Religionum & exclusione aliarum. 6.) De prohibitione conventiculorum hereticorum. 7.) De horum infamia. 8.) An possint esse testes? 9.) Judices? 10.) Notarii & Advocati patrini in baptismo? 11.) Generatim ab officiis publicis excluduntur, & præprimis clerici hæretici removendi, etiamsi ad unam e tribus recepti tranfiant. 12.) An & quando amittunt jus Patronatus? 13.) An sepeliendi? 14.) De pœnis, quæ bona & fortunas

tunas respiciunt, inter has prima Confiscatio examinatur. 15.] Non frumentur privilegiis, intuitu Religionis concessis. 16.] Mulier hæretica non gaudet privilegiis dotis. 17.] An Hæretici excludantur ab omni successione? 18.] An hæredes institui possint? 19.] An Testamentum facere? 20.] Mater hereticam filiam dotare non debet, & orthodoxa filia à matre dotanda est. 21.] Notantur & rejiciuntur, quæ Pontificii ex principio: hæretico non est servanda fides; ducunt. 22.] Agitur de poena corporali maxime ex sensu Pontificiorum. 23.] Proponitur super hac re nostra sententia. 24.] Epilogus.

I. **A**ggressuri poenarum enumerationem, quæ in hæreticos constitutæ sunt, tantam earum offendimus multitudinem, ut mole istarum fere obruamur. Primum enim Imperatores Romani, & inter eos præprimis Theodosius sat multas poenales sanctiones in eos promulgavit, ut est videtur in Codice Justiniani repetit: prelecto dicto, & in Codice Theodosii sub Tit. de Hereticis. Merentur tamen adduci, quæ Zozomenus L. 7. cap. 12. de Theodosii Constitutionibus in hæreticos, ait: *Graves quidem ab eo poenas propositas, non ut eas exequeretur, verum ad metum tantum, ut ita ad fidem Catholicam traduceret.* Deinde in argumento de hæreticis sedulo observandum est, quod Theodosius Junior, *Hereticos non omnes caldam austritate plectendos esse*, ait L. 6. Cod. Theod. de Hæret. Potest orta inter sacerdotium & Imperium controversia, cum Pontifices Romani potestatem secularem etiam contra ipsos imperantes sibi asserterent, & facto usurparent; hinc accidit, Papas Cæsarum potentiam æmulatos multis leges quasi jure imperii rogasse, unde demum informe jus Canonicum emersit. Qvin quod speciatim Hæresin spectat, cum Pontifices Laicis ipsisque imperantibus persuaserint, Hæresin veluti Crimen Ecclesiasticum ad solum Papam & Clerum pertinere, & sacrilegium quasi esse, quando potestas civilis de hæresi potestatem cognoscendi, statuendi & condemnandi, sibi sumeret, sic eo audentius Pontifices legislatoriam potestatem in hoc crimine exercuere, ita, ut hæreticum fecerint ex arbitrio, & varias in eum sanciverint poenas. Etenim sape-

sæpenumero Pontificiis Hæreticus est, qui juxta sacram scripturam minime talis est. Nam generaliter, qui Papali Interesse, Eminentia, ac juribus vel minimum adversabatur, mox hereticus audit. Sic Decianus tr. Crim. L. V. c. 16. ibi n. 1010 scribit: Hereticum esse, qui afferit, Papam in temporalibus non habere potestatem, sicut in spiritualibus & hodie Imperatorem non habere Imperium ab Ecclesia, quia de necessitate salutis est, ut omnis anima sit subjecta Pontifici, in fin. cap. unam sanctam Extrav. comm. de Major. & obed. Non mirum ergo, Bonifacium Pontificem nominatum Philippum Pulchrum execratum esse, & simul scripsisse, se Proceres Franciae solvere fidelitatis jure, ac ei jus regni abrogare, cum Philippus hunc papalem fidei articulum credere nollet, sed ad Papam inter alia rescriberet: *Sciat maxima tua Fatusitas, in Temporalibus nos alicui non subesse.* Paulus Aemilius in Vita Philippi Pulchri. Bodin, de Republ. g. Attamen Pontifices hac sua impudentia obtinuere, ut Pontifici Imperantes ultro in hæresi, veluti re sacra, cognoscendi, statuendi & leges ferendi potestatem Pontificibus permiserint, qua strenue usi, multas qua hæresin fecere ordinationes, omneque poenarum genus in hæreticos constituere, & legibus civilibus constitutas, ut ita loquar, canonisarunt. Qvo vero evitemus confusioriem, quam concursus juris civilis & Canonici de facili parere possit, promiscue quidem de poenis tam juris civilis quam Canonici agemus, hoc tamen ordine, quem tenuit Decianus tr. Crim. L. V. cap. 40. q. &c. ut prius agamus de poena spirituali, quæ animam respicit; deinceps de poenis corporalibus, quæ corpus tantum spectant, aut famam & dignitatem ledunt, vel bona & fortunas. Poena spiritualis habetur *Excommunicatio*, cuius magnum inter Pontificios, maxime olim, fuisse abusum, in vulgus notum est. Pontifices enim ea utebantur pro stabilendo Statu Papali & Hierarchia Romana. Hinc bruta fulmina Pontificum divini juris corruptelæ potius, quam legitima Excommunicationes dicendæ sunt, præprimis cum sub specie Excommunicationis subditos vinculo fidelitatis solverint, & hac ratione Principem

D

cipem

cipem de Principatu plane dejecerint. Cap. ult. X. de Heret. Sed licet Pontificii ea adeo abusi sint; tamen istam à fermento pontificio repurgatam defendunt, & juris divini institutum esse, Nostrates Theologi afferunt. Excommunicatio in genere est Exclusio à cœtu Ecclesiæ, quæ distinguitur in minorem, qua quis ab usu sacrae cœnae excluditur; & majorem, qua quis penitus ab omni Ecclesiæ Communione absconditur, & à cœtu fidelium ejectus Satanæ traditur. Inter JCTos nostra ætate sunt, qui omnem Excommunicationem inter reliquias Papales referunt, inter quos eminet Titius in seinem geistlichen Recht L. 3. p. 6. §. 3. ibi, daß die Excommunication oder Kirchen-Zucht in Christl. Republ. eine unvernünftige/ unnöthige/un-nützliche/ auf Verwirr- und Zerrüttung abziehlende Sache/ eine Gelegenheit und Stütze des Pabstthum sey. Atque ita quidem de utraque Excommunicatione, minore & majore sentit idem in jur. priv. L. IX. c. XVI. §. 16. & im geistlichen Recht L. 3. p. 4. §. 8. ubi propugnat paradoxam illam sententiam, sacerdotem non posse impunitentem à sacra cœna repellere, & post mordaciter contra Tolnerum defendere annisus est, daß derjenige vom Beicht-Stuhl nicht können abgewiesen werden, welcher wahrhaftig unguldliche Dinge (v. gr. sich voll zu sauffen) nicht unterlassen will. Vid. Titii fernere Ausführung vom Pabstlichen Missbrauch des Binde-Schlüssels wieder Iustum Tolner. Verum jure divino utramq; Excommunicationem inniti, satis evicere B. Feche, in integro Tract. de Excommun. item in Vindicis de clave ligante & solvente. Dominus Krakewitz, olim Professor Theol. Rostoch. nunc Acad. Gryphiaw. Pro-Cancellarius, & Theol. Professor Primarius, &c. in Disf. Rostochii habita, de Excommunicatione Ecclesiastica, qui speciatim utramque probat è variis scripturæ sacræ dictis Matth. VII. 6. XVI. 19. XVIII. 15. 16. 17. Job. XX. 21. &c. Rom. XVI. 17. 1. Cor. V. 4. 1. Cor. XVI. 22. Tit. III. 2. 2. Thes. III. 6. 14. 15. Add. Job. Herm. ab Elswich in tr. de reliquis Papatus Ecclesia Lutherane fallo imputatis cap. 9. Num vero Excommunicatio præ-primis Major in Principes & Reges exerceri possit, queritur? De utraque negant, Titius im geistlichen Recht L. 3. p. 6. §. 3. Thomasing

masius im Bedenken / wie weit ein Prediger gegen seinen Landes-
Herrn sich des Binden-Schlüssels bedienen könne. E contrario
majori Excommunicationi in Principem exercenda locum
concedunt ab Elswich all. tr. cap. 9. §. 3. Dominus de Krakevitz all.
Diss. Sect. 4. §. 18. ubi adduxit *Anonymi responsum* auf Thomasi
vor: angeführtes Bedenken / nec minus judicium *Auctorum una*
schuld. Nachricht. anno 1706. qui judicarunt, Thomasium nec statu
controversia recte formasse, nec eidem rationes pro
Affirmativa satis perspectas fuisse, nec ejus rationes deciden
di quicquam valere, neque rationes dubitandi satis dilutas
esse. Verum nobis placet distinctione illorum, qui minorem,
non majorem Excommunicationem, in Principem exerceri
posse, assertunt. Ziegler. ad Lancell. Inst. Jur. Can. L. IV. tit. 13. §. 31.
Schilt. Inst. Jur. Eccl. L. 2. tit. 5. §. 4. & ibi Horn. in addit. quam
sententiam ex Theologis, Hülsemanno, Dannhauero, pla
cuisse refert ab Elswig all. l. Postquam assertum ivimus
Excommunicationem majorem & minorem jure divino ini
nit, porro sequitur, quemadmodum utraque suo ordine
ob gravia & enormia voluntatis delicta contra impoeniten
tes recte exercetur, ita non minus eandem ob hæreses &
errores in articulos fidei impingentes, maxime si fovens illos
pertinaciter defendat, exerceri posse. Quin à sacra cœna
excluduntur alienæ Religioni addicti, quantumvis in Imp
recepta & probatae Lyncker. in Dissert. de eo, quod iustum
est circa sacram canam, cap. 5. §. 10. & 11. 14. Quin imo ratio
ni convenire videtur, Hæreticum, et si dolo vacat, tamen à
communione Ecclesiæ externa excludi posse, quia cætus re
ste & ex Formula Ecclesiæ Catholicæ credentium in suum
cætum admittere non tenetur, qui inde dissentit, & facto
ipso se membrum Ecclesiæ esse negat. Coccoj. in Diss. de jur.
circa her. §. 28. Denique, sicut in multis Germaniæ Provin
ciis utraque Excommunicatio per Ordinationes Ecclesiastici
cas recepta est, ita speciatim idem in ord. Eccl. Pom. factum
est, utpote, cuius juxta tenorem, tam qui in gravioribus mor
talibus peccatis & delictis contra Decalogum impoenitenter
vivit,

vivit, & Verbi Divini & Sacrae Cœna contemptor existit, quam qui in doctrina salvifica errores capitales tenet, Excommunicatione feriri potest Kirchen. *Agend tit.* vom Christi. *Bann* fol. 153. ibi: Wann jemand in falscher unchristlicher Lehre stecket wieder Gottes Wort und die Augsburgische Confession, und nach Christlicher Brüderlichen Vermahnung davon nicht abstehet / den soll man nicht zum Sacrament lassen/ auch für keinen Christen halten / bis er sich öffentlich bessert. Formula quoque Excommunicationis majoris extat in der Kirchen. *Agend* fol. 158. & 159. De minore Excommunicatione, von Abweisung vom Beicht-Stuhl/ legi potest Pomerische Kirchen. *Agend* fol. 143. 126. Licet autem Excommunicatio minor Ministerio recte tribuatur, caveat tamen sibi Clericus, ne affectibus indulget sine causa aliquem ab Absolutione & Sacra Cœna repellens. Vid. *Lyncker. all. Disf. c. 2. §. 8.* Sed in dubia causa securius Consistorii five Generalis Superintendentis consilium expedit. Major Excommunicatio in Pomerania Svecica nunquam sine decreto & mandato Consistorii & Generalis Superintendentis exerceri debet. *Stat. Synod. cap. 2. §. 1.* ibi: Kein Pfarr-Herr soll sich unternehmen/ jemand zu excommuniciren/ oder öffentlich in Bann zu thun/ ohne Erläuterung des Consistorii und Superintendenten. Sed qui mundi spiritu reguntur, ne excommunicationem, veluti brutum fulmen, contemnant, verendum est, si modo alias ipsis in Republ. bene sit. Etsi enim horrendum auditu christiano sit, Satanæ tradi, impii tamen hoc non adeo extimescent, cum jam antea ejus sint. Itaque, ut Excommunicatus vim Excommunicationis magis sentiat, jure pontificio plures effectus, qui vere penas civiles involvunt, eidem tribuuntur, de quibus legi potest *Decianus in tr. Crim. cap. 41. n. 12.* Juxta *Agend. Eccl. Pom. d. l.* Consistorium contra contemptores Excommunicationis brachium seculare invocat, ut hujus auctoritate hi humanæ & divinæ ordinatiois contemptores carcere coercentur, & hac ratione præfractus & contumax eorum animus infringatur & emendetur. *Quin ubi nec hoc modo corrigi possint, acriori utendum*

dum medicina, & vel cum vel sine poena corporali est provincia certove loco relegandi sunt vom Kirchen: *Agend all.*, *L. Carpz.* L. 2. def. 294. *Schilt. Inst. Jur. Can.* L. 2. tit. 3. §. 15. utut hæc Philosophia juris displiceat *Tirio im geistlichen Recht* L. 3. P. 3. §. 19. utpote qui plerumque plus legibus sapit. Postquam satis de poena spirituali actum est, nunc de poenis, quæ dignitatem famamque hædunt, agemus, & postea ad eas, quæ bona atque fortunas & corpus spectant, transibimus. Ad poenas quæ famam & dignitatem respiciunt 1.) referimus exilium & expulsionem, seu relegationem ex urbe ac provincia, quâ Imperatores hæreticos multas statuerunt ex L. 5. & 8. §. 4. *C. de Heret.* & ex L. 13. 19. 30. 31. 32. 34. 52. & 54. *Cod. Theod.* tit. de Heret. et si non omnes neque semper L. 10. *C. Th. tit.* de Heret. Hinc prohibitum quoque est, Hæreticum in civitatem recipere. L. 2. & 4. *C. de Heret.* Quin exilio multantur, qui de fide tantum disputatione L. 2. *C. de Summa Trin.* L. *Mathematicus C. de Episcop. aud.* Qvod si jus modernum spectemus, illud sumendum erit ex art. 7. §. 2. *Inst. Pac.* Osnabr. ubi sequens legitur clausula adjecta. Sed preter Religiones supra nominatas nulla alia in sacro Imperio Romano recipiatur vel toleretur. Quis hujus clausulæ sensus sit inter Doctores juris publici non satis constat. Vulgo eum sic esserunt, Statum Imperii Germanici non posse in suo territorio recipere aut tolerare Religionem, quæ à tribus in Germania receptis fundamentaliter dissidet, & inde novam Sectam facit. Sed *Dominus Thomasius ad Monzamb.* p. m. 255. ait hanc clausulam ejusque communem expositionem studio Cleri stabilitam, cæterum Juri Naturæ, primis Christianismi principiis, & omnibus bonæ interpretationis regulis repugnare & reclamare, ex quibus ultro fluit, hanc clausulam veluti irrationalem, non esse observandam. Non est, ut nunc item faciamus nostram, an Instrumentum Pacis Westph. saltem interpretationem authenticam, quo inclinare videtur *Mev. P. 1. Dec. 67.* an etiam doctrinalem, quod contra defendit *Rhet. in jur. publ. L. 1. tit. 1. §. 80. 81. 82.* admittat. Hoc certe in ipsa pace severe ac rigore

D 3

rose

rose prohibetur, ne quis contrarias assertions inde deducat, aut claras, vel impugnet, vel dubias reddat. Sed videndum est, an criminatio, quā Thomasius clausulam istam operat, aliquid veri habeat? Primum dicit, eam juri naturae adverſari, quod vero ipsi prius probandum erat, sed nec unico argumento præstit. Nobis certa Novatoris nota est, à claris legis verbis ad generalia iusti ac injusti principia provocare, quæ plerumque novit in variis mutare formas. Qvin inolitum plane malum est, cum lex scripta novaturientes destituat, hos nova vel pessima dogmata fuso æquitatis naturalis adornare. Nobis quidem illa clausula ejusque communis expositio juri communi apprime conveniens videtur. Licet enim concedamus, si Religio tranquillitatem publicam & civilem non turbet, ejus affectus ex mero jure nature posse recipi & tolerari, tamen non mox idem est necessarium, sed æque licitum erit, non recipere nec tolerare. Itaque cum Imperator & Status Imperii ad conservandam publicam Reipubl. Germ. tranquillitatem mutua conventione legem fundamentalem fecerint, vi cuius præter tres Religiones alia ab his fundamentaliter distincta secta non recipiatur, nec toleretur, ideo omnino juri naturae convenit, hanc publicam conventionem & legem fundamentalem sancte servari, cum non magis in Ecclesiasticis quam secularibus Princeps præsentem Reipubl. Statum deſtruere non possit, cui tuendo non evertendo est datus, quod juris gentium esse ait *Cocceius in jure publ.* Porro 2.) clausulam principiis Christianismi repugnare afferit. Verum licet mansuetudo christiana hereticos igne non mox exscindat, scripturæ sacræ tamen non adverſatur, sed magis consonum est, eos à cœtu fidelium abscondere, indeque ejicere, ne in vera doctrina persistentes à perverſa secta seducantur, animisque subditorum in diversa distractis, ipsi Reipubl. perniciēs attrahatur. Qvin ipse *Thomasius im Fürsten-Recht pos. 19.* concedit, Principi licere, ubi subditis suis hoc prodeſſe videt, hereticis imponere emigrandi necessitatēm. *Qvod si hoc verum sit,*

fit, quomodo clausula ista principiis christianismi repugnare potest. Demum 3.) existimat, communem dispositionem regulis bona interpretationis adversam esse. Sed Lytæ & Prolytæ norunt, interpretis officium cessare, ubi verba legis sunt manifesta. Qvi fine cavillatione verba Pacis Osnabr. in se plana & perspicua considerat, ille agnoscat, ea alium sensum non ferre, ac vulgo Doctores Juris publici efferunt. Atque quo constet, quid æra lupinis distent? ponere hic placet verba Job. Wolffg. Textoris in jur. publ. tit. n. 293. ibi: *De eo non est dubitandum, quin religiones omnes, que christianum nomen habent, præter Catholicam, Evangelicam & reformatam legibus improbentur, & extra pacem publicam constitutæ sint.* Et n. 326. ait: *Consequenter Dominis Territorialibus non esse permisum, religiones alias tolerare.* Evidem Titius adhuc alter communem intellectum clausulæ inverttere & subruere conatus est, existimans, Status Imperii in suis territoriis aliam præter tres receptas tolerare aut recipere posse, si specialia pæta cum subditis non obstent, quasi necessitas tolerandi solum non sit fancita, non vero jus tolerandi sublatum in jur. priv. L. 9. c. 15. §. 29. & Spec. jur. publ. L. 3. c. 1. §. 25. Sed hæc mere cerebrina expositio à mente & verbis d. clausulæ prorsus aberrans. Nam necessitas recipiendi ne quidem ad tres Religiones pertinet. Qvi enim anno 1624. in possessione exercitii religionis non fuere, illos Dominus Territorialis in sua provincia necessario tolerare & recipere non debet, sed illis necessitatem emigrandi imponere potest. Instr. Pac. art. 5. §. 30. Unde indubium est, Statum Lutheranum Catholicos cum sua Religione in suum territorium recipere non tenere. Attamen aliis Religionibus præter tres in J. P. O. nominatas negatur, quod qua tres concessum est, ac hoc quidem est receptio vel tolerantia aliis Religionis præter tres receptas: Verum quando in Instr. Pacis Osnabr. dicitur: *præter tres Religiones aliam recipi & tolerari non debere, tum juxta interpretationem Authoris Medit., ad Instr. Pac. art. 7. §. 2. verba clausulæ accipienda sunt, de publico Religionis*

nis exercitio, nec vero simul privata singulorum tolerantia
 prohibetur, cui adstipulantur Bohmer, in addit. ad Schilteri Inst.
 Jur. Can. L. 1. tit 19. §. 9. & in Dis. pralim. in jus Ecel. §. 38.
 Tom. II. Stryck. in tr. de caut. Iesam. cap. 3. §. 6. & praxis
 moderna respondet. Qvam interpretationem etsi sequi-
 mur, tamen nobis hoc extra dubium est, Principem vi
 superioritatis territorialis nec singulos tolerare vel reci-
 pere debere, sed ubi inveniuntur, iis necessitatē emi-
 grandi imponere posse. Deinceps quod Principi licet, non
 mox judici permisum est. Hinc ubi ex lege publica Hære-
 tici convicti & damnati ē provincia relegandi sunt, uti san-
 citorum est jure communi, seu supra dictum est, nec minus in
 Ord. Ecel. Pom. fol. 101, comprehensum videtur, ibi: Es soll nie-
 mand etwas Neues in der Lehre hervorbringen/ und da er das thä-
 te / daß alsdann/ wann er irrig befunden/ und auf vorhergehenden
 de Ermahnung von seiner Meynung nicht weichen / sondern in sei-
 nem Vornehmen halsstarrig beharren will/ des Landes unnachläß-
 sig solle verwiesen/ und darin zu keinen Zeiten gestattet oder gedul-
 det werden / tum judex legem scriptam, et si dura sibi vide-
 tur, simpliciter sequi debet. Præterea ex præcedente fluens
 & in hæreticos constituta poena est 2. quod probibeamur con-
 ventus insituere L. 2.c. de Summ. Trin. L. 5. 8. §. 3. C. de Hæret. Nov. 37.
 (qui legibus Imperatorum passim insausti & damnati nefarii
 cætus, funesta conventicula, illicitæ & profanæ coitiones, i-
 tem conciliabula, &c. appellantur L. 5. 7. 10. 34. &c. C. Th. de
 Hær.) idque tam privatis quam publicis locis, tam nocte quam
 die L. 3. & 8. §. 3. C. de Hær. l. 9. 12. 16. 30. 36. C. Th. eod. loca
 quoque seu fundi domusque, in quibus catus vel conven-
 tus ritusque hæreticorum habitu, Domino sciente, vel confis-
 cata L. 8. §. 3. C. de Hær. L. conventicula C. de Ep. & Cl. l. 3. 4.
 8. 12. 21. 30. &c. C. Theod. de Hær. vel Ecclesiis & Clericis vindici-
 cata. L. 65. C. Theod. de Hær. Atque hodieque hæreticis non so-
 lum interdictum conventus habere, sed nec Principibus est
 licitum, hoc ipsis concedere, quia sic publicum religionis
 exercitium hæreticis indulgent, & tolerant diversam à tribus
 Reli-

Religionibus sectam, quod tamen per Instr. Pac, Osnabr. art. 7.
 §. 2. Principi in Germania non licet. Porro 3.) hæretico infamia irrogata est, l. 1. in fin. C. de Summ. Trin. auth. Gazaros C. de Hær. l. 7. §. 4. C. Theod. de Hær. quod Coccoeius tum admittit, ubi crimen, quod hæresi cohæret, est famosum in Diss. de jur. circa Hær. §. 31. quæ sententia benignior quidem, sed cum auth. Gazaros C. de Hær. non adeo convenit. Ex pena infamiae nunc 8.
 sequitur 4.) quod jure civili graviores hæretici in omni casu & inter quaslibet personas à dicendo testimonio arcendi videantur, leviores autem possint inter ipsos testificari, non contra orthodoxos, hi quoq; in Testamentis & Contractibus testes esse possunt l. 21. quoniam C. de Hær. Nov. 45. Jure Canonico quoque hæretico contra orthodoxum abrogatur omnis fiducia C. I. X. de Hæret. Sed hoc non pertinet ad tres Religiones in Germania in Instr. Pacis approbatas, diversitas Religionis in se non minuit fidem juridicam, nisi aliqui de oriente eius diminutio, veluti à præsumptione odi. Vid. Bohmer. in Jur. Eccl. tit. de Test. Porro quoque 5.) Hæreticus judex esse nequit, & si forte sit, sententia ab eo lata est ipso jure nulla auth. credentes C. de Hær. c. 13. §. credentes X. de Hæret. nec 6.) advocatus l. fin. 9.
 C. de post. l. 15. C. de Ep. Aud. Nov. 144. C. 2. Cap. 13. §. credentes X. de Hær. quod æq; ad tres Religiones non spectare docet Bohmer. in Jur. Eccl. tit. de postul. §. 7. sed saltem ad sectas, que ab iis diversæ sunt, Stryck. in II. M. ff. tit. de postul. §. 7. à quo diversus est Bohmerus all. l. neque 7.) Notarii officio fungi possunt, & instrumentum, ab eo factum, est nullum all. Auth. credentes, sed hoc quoque ad tres Religiones receptas trahi nequit. Neq;
 8.) Patrinus in Baptismo esse potest, num vero excludendi sunt diversæ Religioni in Imperio Romano approbatæ ad diuersum munere susceptoris. vid. Bohmer. in Jur. Eccl. tit. de Baptismo, §. 4. add. Stryck. ad Brunn. L. II. C. I. m. 2. §. II. Denique 10.
 9.) generatim hæreticus nullum officium publicum gerere potest, sed potius omnibus dignitatibus tam secularibus quam Ecclesiasticis privandus, etiamsi esset Papa c. 6. Diss. 40. l. 3. §. 2. C. de Summ. Trin. Atque hoc in Clerico non solum obtinet, si prorsus novam sectam amplectatur, sed quoque ubi solum

lum à suo cætu deficit, & ad aliam ex tribus Religionibus
 transit, v. gr. si quis ē Lutheranus coeperit docere dogmata Ca-
 tholicorum aut Reformatorum, quia eo approbatio trium Reli-
 gionum trahi nequit. Potius *Thomafus im Fürsten-Recht pos.* 12.
 rationi conveniens habet, Clericum, si alia dogmata doceat, ac
 in Ecclesia, à quā receptus est, hactenus approbata, facta hoc
 se officio sacro in illa Ecclesia indignum reddere, quia Eccle-
 sia Pastorem hac lege tacite vocat, ut ejusmodi doctrinam do-
 ceat, quæ ipsa sequitur. *Pom. Kirchen-Ordn.* fol. 78. fac. a. ibi:
 von Reżen/ neque tamen hoc privato Ecclesiæ ausu, sed au-
 thoritate summi Magistratus, vel Dicasterii Ecclesiastici, vi de-
 legatæ potestatis, prævia causa cognitione fieri debet. Qvin
 generatim recte dicitur, ex generali tolerantia trium Reli-
 gionum minime sequi, quod Dominus Lutheranus Catholi-
 cos necessario ad honores & munera provehere ac admittre
 debeat, & vice versa, hæc enim falsois fundamentalibus
 conventionibus ipsis recte negantur. *Tit. in jur. publ.* L. 3. c. 2.
 §. 31. Qibus convenienter anno 1663, in der Regiments-Ver-
 fassung denen Herren Land-Ständen extradiret, provisum est, ut
 nemo ad Illustrē Regiminis vel aliud Collegium promoveri
 debeat, nisi Aug. Conf. Ord. Ecol. & Conf. Pom, de anno 1593,
 addictus. Vid. *Disf. Jac. Henr. Baltas, de Zelo Pom. adversus Reform.*
 §. 16. In Assesorem Cameræ neminem assumi posse, nisi, qui
 uni ex tribus Religionibus addictus est, constat ex art. 5. §. 53.
Infr. Pacis Westph. Denique 10.) Hæreticus quoque amittit jus
 Patronatus aut. *Gazaros C. de Her.* c. 10. de Haret. Cæterum ve-
 ro, quia tres Religiones in Imperio approbatæ sunt, hinc non
 raro contingit, ut Patronus diversæ Religionis quidem ab
 Ecclesia patronata sit, nec tamen possit alium vocare Pastor-
 em, quam illi Religioni addicatum, cui Ecclesia. Qvin ubi
 Patronus Lutheranus mutat Religionem & ad Pontificiam
 transit, licet non amittat Jus Patronatus, ceu Confisit, Gryph.
 noviter in hanc concessit sententiam, tamen Ecclesia sua do-
 ctrinæ Pastorem præsentare debet. Vid. *Bohmer. in Jur. Eccl.*
 tit. de Jure Patronatus, §. 68. & 69. Ultimo & II.) sepultura quo-
 que hæreticis denegatur, non quidem Jure Civili, quo o-
 mnes

mnes hæretici, etiam Manichæi sepeliendi sunt. *L. 9. c. de Hær.*
 sed *Jure Canonico*, c. 8. 13. §. credentes *X. de Her.* c. 12. *X. de Sep.*
c. 2. de Hær. in 610, ex cuius rigore ille quoque, qui hæreticum
 sepulturæ committit, hoc factio excommunicatur, quoad ma-
 nibus suis sepultum exemerit & alio projecerit *c. 2. de Her. in*
610, quin cæmiterium reconciliandum; & quasi de novo con-
 fecrandum *c. 7. X. de Her.* qualia nec in extrema barbarie au-
 dita esse ait *Coccej. all. Dis. de jur. circa Heret.* Verum etsi in *L. 9.*
C. de Hær. impium & inhumanum merito habetur, hæretico
 omnem denegare sepulturam, tamen ne hæreseos publice
 condemnati in Ecclesia fidelium, ceremoniis solitis, condi-
 debeant, praxis inter protestantes non inique servat. Hinc
 Sociniani sine ulla ceremony extra cæmiteria publica sepe-
 liuntur, si forte alicubi degant & moriantur. *Carpz. P. 2. D. 282.*
C. 397. Finck. de Jure Sepulti. concl. 13. Horn. ad Inst. Jur. Can. Schilt.
L. 2. tit. 14. §. 7. Hoc autem ad tres Religiones, in Germania
 receptas, non pertinere, evidenter sanctum est. *Art. 5. §. 35.*
Pac. Osnabr. vid. Bobmer. in Jur. Eccl. tit. de Sepult. §. 45. Attamen
 quia Pontificii legem fundamentalem hac in re transmigrant
 & violant, nec ex principiis sua Religionis Protestantibus ho-
 nestam sepulturam concedunt, scilicet ne loca religiosa pro-
 fanentur; hinc quidam existimant, idem Pontificis à Protes-
 tantibus jure retorsionis recte negari cum hoc moderamine,
 ut istis ceremony consuetis prope muros cæmiterii terræ
 tradantur, quod displicet *Titio in jure publ. L. 3. c. 2. §. 32.* di-
 centi, Jus retorsionis contra subditos Pontificiorum locum
 non habere, quia unius Religionis consortes corpus morale
 non constituunt, eo sensu, ut unius delictum reliquis impu-
 tetur. Sed omnes Pontificii, qui vere tales sunt, nefas ha-
 bent, Lutheranum in locis religiosis Pontificiorum sepeliri,
 hinc cum omnium idem sit crimen, adversus omnes jus re-
 torsionis sub moderamine adducto exerceri posse videtur.
 Deinceps pax Osnabrugensis est mutua conventio inter Sta-
 tus Imperii tribus Religionibus addictos, à qua dum Pon-
 tificii in hoc puncto refiliunt, nec Protestantes amplius ea
 teneri possunt, sed ipsis licebit in sua provincia statuere, ne isti

Pontificii consuetis solennibus in nostris locis religiosis se-
 14. peliantur. Sed eundum est ad poenas, quæ fortunas & bona
 hæreticorum spectant, inter quas gravissima est *confiscatio o-*
mniū bonorum. Etenim juxta *Aub. Gazaros C. de Heret.* cap. 13.
X. de Her. cap. 19. eod. in 6to omnia hæreticorum bona veluti
 caduca à die promulgatae super hoc criminē sententia ipso
 jure fisco deferuntur, adeo, ut si hæreticus ante sententiam
 deceperit, nil minus post mortem ejus ad confiscationem, se-
 cuta sententia condemnatoria, procedatur *Decianus tr. Crim.*
L.V. c. 43. ubi late de hac poena confiscationis bonorum hæ-
 reticorum agit. Sed num hæc legum & Canonum seve-
 ritas usū apud Protestantes obtinet? Multi in ea sunt hære-
 ti, confiscationem bonorum hodie in toto orbe christia-
 no, excepto criminē læsa Majestatis, sublatam esse propter
Nov. 134. Cap. fin. aub. bona dammarum *C. de bonis proscr. art. 218.*
Ord. Crim. Brunn. ad all. Aub. Ant. Matthei de Crim. p. 707. quorum o-
 pinio tamen accipienda est, si damnatus ad mortem relinquat
 vel ascendentēs, descendētēs, aut collaterales, ad tertium gradum,
 vid. *de Collateralibus Pagenflecher in sc. man. 3. tit. de bon. dam.*
p. m. 371. &c. his non relicitis Fiscum juxta Justinianum jus
 adhuc bona sibi vindicare posse tradit. *Stryck, in U. M. ff. de bon.*
damn. Alii vero existimant, per Justinianum, publicationes
 non esse sublatas, quoad ea delicta, quibus expresta lege con-
 fiscationis poena posita erat. *Mev. ad Jus Lubec. L. 1. tit. 2. art. 3.*
Lauerb. de Jure Fisci, c. 3. §. 7. quod hi etiam probare volunt
art. 218. Ord. Crim. ib. Außerhalb des Lasters der beleidigten Majes-
 stät/ oder sonst in andern Fällen/ so der Ubelthäter Leib und Güth nicht
 verwürkt/ vom Leben und Tode gestraffet ic. Sed circa lectionem
 & intellectum hujus loci mirum in modum variant Interpre-
 res. *B. Stryck, in U. M. ff. all. tit. verba,* ab außerhalb usque ad
 verwürkt parenthesi includenda contendit, quo facto, hunc
 sensum ponit, Confiscationem bonorum esse sublatam, ex-
 cepto criminē læsa Majestatis, & aliis criminibus, quibus
 lege vel statuto speciatim amissio vitæ & bonorum est ir-
 rogata. Alii vero, particulam oder tollendam esse, putant.
Carpz. pr. cr. qu. 135. n. 3. Richt. in aub. navigia *C. de furt. n. 32.*

Alii

Alii adhuc, pro nicht legunt mit. Nostra quidem sententia est, in art. 218. Ord. Crim: Imperatorem sequi voluisse jus Justinianum, quocum omnes publicationes bonorum, nisi in criminis læsa Majestatis, uti quidem opinamur, sublatæ sunt, sic idem esse juxta Const. Crim. Caroli Vti. Vid. Kresf. in Comm. Crim. all. art. 218. Verum huic nostræ sententiæ obstatre videatur, tam quod jure Justinianeo excipiatur Crimen læsa Majestatis, quale vulgo dicitur hæresis, non quidem humanæ sed divinæ, quam maxime, quia Aut. Gazaros Cod. de Her. diserte confiscatio ad Hæresin, veluti Crimen læsa Majestatis divinæ producitur. Verum jure Justinianeo hæresin Confiscatio non sequitur, authentica enim Gazaros continet legem Imperatoris Friderici II. qui Imperator Germanus est, & diu post Justinianum vixit. Sin quis objiciat: hoc magis eam esse servandam, tum advertendum est, Fridericum II. illam constitutionem anno 1219, quo ab Honorio Romæ est coronatus, in favorem Romane fedis edidisse Panciroll. in thes. var. lett. L. 2. cap. 178. per tot. à Papa sub prætextu, Hæresin esse crimen lese Majestatis divina, & inde gravius scelus esse, æternam quam temporalem offendere majestatem, delusum. Sed quis non videt ineptitudinem rationis & ejus applicationis. Etenim per omnia peccata offendimus æternam majestatem divinam, ergo ob quævis delicta ex Pontificis principio confiscatio debebit obtinere. Sicut vero Protestantes ineptas & falsas hypotheses Pontificum pro jure & veritatibus nunquam recepero, sed potius, facta Reformatione, in universum istas damnarunt, ideo nec authenticæ Gazaros C. de Her. confiscactionem bonorum ex vana ratione Hæreticis irrogans usu inter Protestantes obtinere potest, eo minus, cum jus Justinianum solum excipiens crimen læsa Majestatis per Ord. Crim. Caroli V. art. 218. veluti recentiore imperii legem confirmatum sit, unde Kressus recte ad art. 218. §. 3. not. 1. in fin. scribit, ibi n. 2. Si situr nobis crimen hereticos, quod in hac ordinat [nempe Caroli Vti] omissum, ut & praxis nostra confiscactionem omisit. Seqvuntur adhuc alia pœnae 15. hæreticorum, bona respicientes, quæ tamen juxta Coccej, Diss. de jure circa Her. §. 27. solum pertinent ad eos, quibus aliud

E3

de-

delictum commixtum est, [scil. qui vel seditiose & turbulenter se gerunt, vel alias mala libidine adducti, aut per contumaciam resistunt; Tales Hæretici 2.) non fruuntur privilegii istis, quæ intuitu Religionis concessa sunt. L. 1. C. de Her. ibi Barbosa in collectan. qualia sunt omnia privilegia piarum causarum, uti quando in testamentis ad pias causas solemnia testamenti remittuntur c. 4. X. de Testam. in legatis ad pias causas Falcidie ratio non habetur Nov. 13. c. 12. in donationibus, quæ piæ cause factæ non indigent infinutione, et si 500. solidos excedunt. l. 36. §. 1. C. de don. Fab. Lib. 8. tit. 3. d. 12. Diss. Carpz. P. 2. L. 12. D. 13. Hæc & alia multa privilegia piis causis indulta ad hæreticos non spectant, quia in his cellat ratio legis vel 16. privilegii, scil. favor Religionis, Brunn. ad L. 1. C. de Her. Atq; hoc 3.) productum est ad privilegium dotis & tacitæ hypothecæ, quod Hæretice mulieri aufertur aub. item C. de Her. Nov. 109. C. 1. quod alii ultra extendunt, & fœminis hæreticis Scl 17. Vellejī beneficium denegant Barb. ad all. aub. præterea Hæretici excluduntur ab omni etiam successione parentum tam paterna quam materna, sive liberi sive una Parentes hæresi laborent, orthodoxi vero succedunt parentibus hæreticis l. 4. §. 6. l. 19. C. de Her. et si jure canonico tam orthodoxi quam heterodoxi liberi à parentum hæreditate arcentur cap. vergentes X. de Hæres; iterum stolidè duſto argumento à crimine læsa Majestatis ad hæresin, unde et si cum jure Canonico aub. Gazaros C. de Hæres. convenire videtur, tamen ob supra adductas rationes illud Pontificium jus, quod tyrannidem sapit, inter Protestantes usū non observatur. Quin plane dicendum videtur, nec hæreticos liberos jure Justiniano novissimo à successione parentum excludi, quia in Nov. 11. Heterodoxia inter justas exhæredandi causas ponitur, jam vero rationis est, ut, qui exhæredari possit, etiam ab intestato succedere valeat. Verum, dantur inter exhæredationis causas quædam, ob quas exhæredari posse quis dicitur, quamvis ea non facta, succedere nequeat, quales primum omnes, quæ parentes impediunt, quo minus filium ingratum exhæredare possint, deinceps singulariter in hæresi idem est

statu.

statutum, uti appareat ex Nov. 115. c. 3. §. 14. Sed Titius in jur. priv. c. 1. §. 18. existimat, ipsam sanctionem Julianam, qua hæretici liberi à successione excluduntur, juri divino repugnare. Sed periculosum est contra expremam juris autoritatem jus divinum prætexere, cum pro lege militari justitiae præsumptio, donec aliud evidenter probatum est, quod probandum omisit Titius. Hoc in confessu est, quod non licet leges istas ad eos, qui uni ex tribus receptis Religionibus adscripti sunt, applicare; hinc filius Lutheranus ad Pontificiorum castra transfuga, ideo à parentum hæreditate excludi nequit, sed cum orthodoxis pariter succedit, uti observat Camera Imp. teste Stryck, de cant. test. c. 29. §. 38. Porro hæretici prohibentur hæredes institui, & quicquam ex Testamento capere, adeo, ut nec paterna institutio liberis proficit. l. 4. 5. C. de Hær. Nov. 144. c. 1. quod æque juri divino adversari statuit. *Titius in jur. priv. L. 7. c. 4. §. 6.* Sane, quando Doctores ajunt: Judeo legari posse non hæretico *Carpz. Lib. 3. c. 3. d. 30.* hoc solida destituitur ratione & merito Brunnemann ad L. 1. C. de *Judeis* absurdum est, Judeis & infidelibus magis favere quam hæreticis, etiam falso pro talibus habitis. Sed invenimus in hac opinione negligi sententia, ex qua Hæreticus Ethnico & Judeo pejor est *Irenaeus Lib. 2. adversus Hær. c. 9. & L. 6. de Hær.* quæ tamen correctior in L. 66, C. Tb. de Hær. reperitur, in qua Hæreticus nomen Christianorum negatur. Præterea Hæretici Testamentum facere nequeunt l. 4. 5. 7. & aub. 19. credentes C. de Hær. quas leges veluti papales non servandas esse, statuit, *Titius in jur. priv. L. 7. cap. 3. §. 12.* Sed per merum dictum Titii leges scripte abrogari nequeunt. Interim Stryck, in tr. de cant. Test. c. 3. §. 61. æque exultimat, Evangelicos rigorem hujus juris non recepisse, hoc addito argumento, aut Hæreticus in civium numerum est receptus, aut non, si prius, ex jure adeptæ civitatis, si hoc, jure peregrinoru*m* Testamentum facere potest. Aub. omnes peregrini C. comm. succ. ubi Fridericus omnibus peregrinis jus civitatis induluisse dicitur. Verum, cur Evangelici hunc rigorem minus receperent, & magis istum, quo liberi hæretici ab hæreditate parentum jure natura quodammodo sibi debita excluduntur? quod Stryck, de cant. Test. c. 19. §. 38, non obfusare probat, scribens, ad hoc, ut filius à successione excludatur, *bodie* requiritur, eum assumptissime Religionem, in Imperio reprobamat. Deinceps Hæreticus in civitatem recipi non debet. L. 2. 4. C. de Hær. Sin receptus, hoc factum intelligi potest, salvis cæteris legibus in hæreticos sanctis. Etenim sub Imperatoribus quoque hæretici tolerabantur, nec enim omnes nec semper expellebantur, & tamen, qui tolerabantur, Testamenti factio[n]e carebant, sanctionibus, adversus se lati illigati. Altera Stryckii ratio, à peregrinis ad hæreticos translata, proflus futilis est. Ne enim dicamus, authenticam illam à multis non de peregrinis, sed peregrinantibus, seu de peregrinis extra patriam domicilii non juris accipi, hoc unum adduxisse fatis erit,

erit, nempe Fridericum II. qui Author est autb. omnes C. Comm. succ. & in ea peregrinis jus civitatis dedisse putatur; itidem in autb. credentes, item Gazaros C. de Hær. Hæreticis Testamenti factionem denegasse, unde sen.
 20. tentia Stryckii non debet non concidere. Denique instar poenæ statutum est, quod mater filiam hæreticam dotare non debeat, & vicissim ma-
 ter hæretica filiam orthodoxam dotare debeat, quod tamen ad tres re-
 ceptas Religiones non pertinere docet Dominus Collega meus & Prof. Jur.
Heliwigius in Dis. de eo, quod iussum circa dotem estimatam, c. 2. n. 50.
 Plures poenas enumerare liceret, nisi Dis. iam nimis excrevisset, legi in-
 terim potest. *Decianus L. V. c. 43. &c.* Hoc adhuc observandum est, illa
 dogmata, quæ ex pravo & pesimno Pontificiorum principio: *Hæretico non*
esse servandam fidem; *Decianus L. V. c. 20. n. 55.* fluunt, damnanda
 esse, quo pertinet, quando afferunt, *Hæretici debitos librari,* et
 siam illam, qui depositum ab Hæretico accepit, ab ejus restitu-
 tione liberatum esse, item, si Dominus sit hereticus, tum *Vassallum non*
teneri juramentum fidelitatis praestare, & si praefiterit, non teneri servare
 & fidem esse. *Decian. tr. Crim. L. V. cap. 43. n. 25.* item, si Rex Hære-
 ticus condemnatus, regnum successori esse dandus. *Decian. d. l. n. 28.* qualia,
 & quæ in prima juris naturalis principia impingunt, merito quivis rejicit,
 22. Denique nobis properandum est ad poenas corporales, quas iustissimas ob-
 causas Hæreticis infligi, late docere voluit. *Decianus in tr. Crim. Lib. V.*
cap. 42. n. 1. &c. Quid Catholici fere omnes pro articulo fidei credunt,
 Hæreticos capitali poena afficiendos esse. *Bellar. L. 3. de Laicis, c. 21.*
Juli Clar. 520. c. sent. §. hæris. n. 7. & neque ab his leges abire viden-
 tur *L. Avriani, C. de Hæret.* ubi Imperatores, Theodosius & Valentinianus,
 rescribunt, hereticos civitate pellendos, & ultimo supplicio tradendos,
 quoniam bis, uti inquit, nibil loci relinquendum est, in quo ipsi Elementis etiam fiat *injuria,* sic etiam in *L. 8. §. ult.* *C. de Hær.* dicitur,
 quod ultimo supplicio coercantur, qui illicita docere tentaverint, add.
L. 2. C. Ne sacr. Bapt. reit. in quibus legibus Papismum legum Romanarum contineri, sunt, qui volunt. Quid Pontificiū in hæreticos quosvis
 ignis poena senviunt, moti Reg. IV. cap. XXIV. Ef. cap. L. in fin. Job. XV.
Mattb. III. & *Luc. III.* quæ poena jure Canonico non est expresa, quia
 Canones poenas capitales & sangvinis non irrogant, sed per brachium se-
 culare exercent c. pen. X. de Hær. c. 10. in 620, atque adeo tradiderunt
 igne comburendos; sed ex communī usu obtinet. *Coccej. Dis. de jur.*
circa Heret. §. 34. *Decianus Lbi. V. cap. 42. n. 4.* Præterea poena criminis
 læse Majestatis in eos exercetur, unde Pontificiū multa tyrannica princi-
 pia eliciunt & probant, veluti, quod filii hæreticorum sint infames arg. I.
 quisquis §. ad l. Jul. Maj. c. 45. n. 8. indeque perdant omnia beneficia Ec-
 clesiastica, si que habent, & omnem dignitatem Ecclesiasticam c. 2. de Hær.
 in 620 non possint succedere ex Testamento, aut ab intestato ceteris con-
 fangvi.

sangvineis vel etiam extraneis, subinde inepte arguendo à crimine lese Majestatis ad Hæresin. Hinc quoque est, quod post mortem, cognito, quod quis fuerit hereticus, licet alias criminia mortalitate extingvantur, contra hæreticum mortuum tamen processus instituatur, de cuius forma, Vid. *Decianus c. 57. n. 8.* Summa, ubi mortuus hereticus declaratur & condemnatur, tum ad instar criminis lese Majestatis memoria ejus damnatur, & infamis redditur, bona ejus publicantur, mortuus excommunicatur, in sacro sepulchro exhumatur &c. Qui aet nos exemplum talis processus contra mortuum hæreticum, ille audeat *Decian. I. 5. c. 57.* ubi n. 17. exemplum in mortuum Wickletum exercitum sistit, & breviter processum ipsamque sententiam condemnatoriam refert. Sed haec tamen adducta, quæ plus quam Cyclopicam & extremam sapientiæ levitatem, merito tam Theologii quam Jcti Evangelici dabant. Neque aliter sentier quisquam, in quo aliquid pietatis & honestatis est reliquum, vid. *Myler. in add. ad Ruamel. comm. in A.B. fol. 665.* Quæ nostra in hac re sit sententia, in fin. 23. Cap. I. partim dictum est. Quam repetimus & existimamus, Hæreticum, qua talem, nulla corporali poena afficiendum esse, quia hic non ex dolo sed ex imbecillitate ingenii errat, & inde verum crimen minime committit. Proinde dominatus in conscientias involvitur, errantibus non tam per leges coactivas & poemales errorum eximere, sed eos prorsus igne & medio tollere velle. Quin qui ejusmodi principia fovent, & exquisitissimis atrocissimisque suppliciis in dissentientibus faciendum esse volunt, sic vicissim illos absolvere debent, qui ipsos eadem ratione persequebuntur. Sin quis objicit, illos pessime facere, quia vera Religionis cultores injussimè poenis excruciant, iidem tamen suam Religionem veram bonaque, & illorum, quos persequebuntur, falsam, hæreticam & erroneam reputabunt. Itaque ultimum, quod ejusmodi eronibus imponere liceat, erit, ut iis abitus è provincia imperetur, quo si tranquillitas Ecclesie sine turbis sit, & omnis seductionis merus amoveatur, quod præmunitionis aduersus propagationem potius, quam supplicii rationem habet. *Hub. de Jur. Civ. L. 1. c. 3. §. 60.* vid. *Cocc. Disq. de jur. circa Hæret. §. 40. ¶ 41.* Verum dicta haec tamen maxime accepta volumus de illis, qui bona mente pravae & hæreticas sententias animo tenent, & de iis ad alios non adeo seducendi eos quam ab ipsis informandi causa loqvuntur. Etenim qui falsa & doctrinæ publicæ recepta adverba dogmata pravo affectu pertinaciter defendunt, & contra prohibitionem Principis in vulgus spargunt, aliosque in suam sectam pertrahere moluntur, hi arbitrarie recte puniuntur, neque tamen mox corporali, sed carcere, multa, aliave proportionata poena, & si tamen se corrigi non patientur, sed doctrinas suas falsas propalare pergant, rectissime hi è provincia ejiciuntur. Denique si hæretici turbones sunt, & sub prætextu Religionis seditione Rempublicam & Ecclesiam turbant, vel tamen crimina committunt, poena corporali aut etiam capitali digna, nemo non

ultra conceder, illos justissime tum & non alter commerita ista pena
plesti. Itaque quando Carolus V. edito anno 1529, edito, quod in Re-
cessibus Imperii post Rec. hujus anni exfat, dicit: Legibus Casareis Ana-
baptismum sub pena mortis esse prohibitum, quibus verbis respxit l. 2.
C. Ne sanct. Bape. iter. quanquam Wef. ad dict. sit. Cod. per supplicium
intelliga saltem deportationem, & deinceps, postquam Anabaptista sub-
duce Thoma Münster⁹ magnas in Imperio concitasent turbas, severum
illud in Comitiis 1529. Spiræ habitis, decretum promulgarum est, scil. ut
rebaptizantes & rebaptizati utriusque sexus, si per actatem criminis ca-
paces sint, suppicio ignis, gladii, &c. affici debeant; recte Protestantes huic
rigori contradixere, & hanc severam poenam tum demum locum invenire
posse statuerunt, si præter errores dogmaticos ejusmodi externa commite-
rent crimina, quæ talem severam committerentur poenam. *Horn. ad Schilt.*

24. *Inst. Jur. Eccl. L. 2. tit. 2. §. 31.* Plura addi possent, sed jam ultra scopum
profecti cum volo vela contrahimus. Duo sunt hominum genera, qui Ec-
clesiam & Rempublicam turbare solent, nempe Hæretici & Hæretifices, per
ultimos intelligimus, qui arte hæreficandi inclarefcere audent, nomen magni
Hæreticorum venatoris ut ita loquar, affectantes, errores circa articulos fidei
singunt, ubi non sunt, ecceque innocentibus malitiose & remere imputant, stu-
dio hos opprimendi persequendique alioque affectu maligno, quorum per-
versos mores eleganter depingit *Job. Lassenus* in opusculo, quod *Arcana Politica Atheistica* inscribit, ubi pag. 199. hoc axioma hisce proprium esse
dicit: *Si bonum noveris, eis argutis contrarium, en remedium, hereticum*
dicito, obtinebis omnia, Religionis magna vis est, vide subjectam explicatio-
nem hujus axiomatis, lectu plane dignam, apud Lassenum. Itaque ve-
lit Benignissimum Numen Ecclesiam in his terris, non solum ab omni ha-
refi interemeratam, ut haec tenus conservare, sed eandem quoque
ab inquietis & turbulentis hæreticibus liberare.



(- 196)

Greifswald, Diss., 1706-25

ULB Halle
005 372 038

3



SB

B.I.G.



9
1724, 11
16
31

DISSERTATIO JURIDICA
DE
**PÆNIS HÆ-
RETICORUM,**

QVAM
P RÆSIDE
**D. PHILIPPO BALTHASAR
GERDESIO,**

ACAD. GRYPH. PROF. ORDIN. FACULT. JURID. H. T.
DECANO, ET REGII CONSISTORII PER POMER. SVE-
CICAM ET RUGIAM DIRECTORE.

J. H. 16
RESPONDENS
CHRISTIANUS ANDREAS LOPER,
JUR. AC PHIL. STUD.
DAB. POM.

PUBLICE
IN AUDITORIO MAJORI
AD D. VIII. DEC. ANNI MDCCXXIV.
HORA CONVENTA IX.
DEO VOLENTE
VENTILENDAM EXHIBET.

GRYPHISWALDIA,
Typis Caroli Höpfneri, Reg. Acad. Typogr.

KÖNIGLICHE
UNIVERSITÄT
ZU HALLE